FAMA DE OBITU ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, D. BARNIMI SENIORIS, ...

Michael Kuchenbecker

Digitized by Google

FAMA
DE OBITV ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
D. Barnimi ſenioris Ducis Stettini, &c.

FAMA. POMERANIA. PRINCEPS.

FAMA

FAma per æthereas venio plorabilis auras,
In mare qua celeres Odera voluit aquas,
Et pacata tibi triſtem Pomerania luctum
Adfero, qui ſummi cauſa doloris erit.
Nam bonus occubuit princeps, & inclytus Heros
Barnimus patriæ nomine reque pater,
Dux pius, & veræ viuens probitatis imago,
Virtute antiqua, magnanimaque fide.

POM:

Ah quid ais miſeræ tu crudeliſsima fama?
Exanimant pectus triſtia dicta meum.

FAMA

Menſis vbi fuerat lux altera nata Nouembris
Solq́; polo in medio conſpiciendus erat,
Exhalans animam mortalis tempora vitæ
Clauſit, & in Chriſto mortis obiuit onus
Qua ſuit & princeps vitalibus æditus auris
ERNESTI nomen qui LVDOVVICVS habet.
Sic qua læta die gaudebas Principe nato
Barnimi hac defles funera mœſta Ducis.

POM:

O nimis ingentis lugubria nuncia luctus,
Quid caſu hoc miſeræ triſtius eſſe poteſt?
O venerande ſenex, patriæ dulciſſime Princeps,
Funeris heu nimium mors mihi acerba tui eſt.
Omnia quæ ciues reddunt vrbesq́; beatas,
Sunt experta animo commoda ſumma meo
Te duce pura Dei ſonuerunt dogmata verbi
Quæ res exuperat totius orbis opes.
Templaq́; magnificè plantariaq́; addita templis
Ornaſti ſumptu liberiore ſcholas
Et tibi auaritiæ fuit execrabile crimen
Quod peccatorum pullulat omne genus

Nec male quæſiſti tibi per compendia cenſus,
Ciuibus oppreßis agricolisq́; meis.
Mars licet inſanus plures euerterit vrbes,
Sola tamen tuta pace quieta fui.
Talia maternis ſoboles non ſentit in vlnis
Commoda, quæ molli ludit ouatq; ſinu
Qualia te ſenſi patriæ viuente parente,
Et te fœlici ſceptra gerente manu.
O nimis ingentis lugubria funera luctus.
Quid caſu hoc miſeræ triſtius eſſe poteſt?
O venerande ſenex patriæ dulciſsime Princeps,
Funeris heu nimium mors mihi acerba tui eſt.

FAMA

Vera refers hominum ſimilem non arguit ætas
Venturæ exemplum poſteritatis erit.
ECCE ſed egreditur defuncti principis hæres
Huic dicas facili, verba modeſta ſono.
Laudatoq; Duci tua, te, ſubmitte decenter,
Et pete quó ſtudio te vigilante regat.
Accelera properans tibi tendit brachia dextræ,
Inflexoq́; agilem poplite redde manum.

POM.

Succeſſor patriæ verus, fortiſſime princeps
Anchora turbatæ fida futura rati.
Funere Barnimus cum ſit ſublatus acerbo,
Et patriæ patrem flebilis, orba, gemo.
Me tibi commendo ciues vrbesq́; relictas,
Sollicitè rebus conſule quæſo meis.

PRINCEPS.

Qua decet ampelctor cura, tua, teq́; tuebor.

FAMA.

Exortæ lachrymæ generoſæ inſignia mentis
Conantem prohibent dicere plura Ducem.

POM.

Scilicet & gemitus luctantia verba repreſſit.

FAMA.

Te gere morigeram docili Pomerania mente
Ex voto princeps hic tibi ſemper erit.
Et patris exemplum ſectabitur vltro Philippi
Nec malè ab egregijs degenerabit auis.

POM

P OM.

Talis ero qualem me Principis æqua voluntas
Præcipit, & charum ſemper amabo Ducem.

FAMA.

Inclyte magnanimis exorte parentibus Heros,
Accipe fœlici patria frœna manu.
Notaq́ maiorum veſtigia carpe tuorum,
Illa tibi fili Theſeos inſtar erunt.

Nec tibi quid liceat ſed quid feciſse decebit
Occurrat,mentemq́ domet respectus honeſti.
Tu ciuem patremq́ geras,tu conſule cunctis
In commune iubes ſi quid cenſesue tenendum
Primus iuſsa ſubi, tunc obſeruantior æqui
Fit populus,nec ferre negat cum viderit ipſum
Autorem parere ſibi,componitur orbis
Regis ad exemplum nec ſic inflectere ſenſus
Humanos,edicta valent quam vita regentis.
Tunc omnia iure tenebis.
Cum poteris rex eſse tui.

PRINCEPS.

Illa monere bonos, ſimul & preſtare regentes,
Et dociles aures principis eſse decet.

FINIS.

THRENI
CANTABRIGIENSES
IN FUNERE DUORUM PRINCIPUM,

HENRICI
Gloceſtrenſis,

&

MARIÆ
Arauſionenſis,

Sereniſsimi Regis
CAROLI II,
Fratris & *Sororis.*

CANTABRIGIÆ:
Excudebat *Joannes Field*, celeberrimæ
Academiæ Typographus,
Ann. Dom. 1661

Ad Sereniſsimum Regem CAROLUM II.

QUum *Fratrem*, Rex magne, tuum pernicior aura
Tolleret; obſtupuit, ſiluítq; Academia mœrens,
Illius ínque obitu reputans ſua damna; ſed ictum
Voces effundit querulas jam paſſa ſecundum.
Quis prohibet ſortem noſtrámque tuámque dolere?
O quàm pulchrè ibas ſtipatus Fratribus, amplo
Præſidio Regni & noſtro! Nunc deficit unus,
Et nudum oſtendis latus & penetrabile curis
Pectus; Væ nobis: *Fratrem*, dulcémque *Sororem*
Tàm citò ab amplexu (ô mors importuna!) revelli
Quis ferat? atque eſt hæc tua ſors? quid non metuendum
Nobis, cùm ſacra ſit laurus bis fulmine tacta?
O nimìs in luxum effuſi peccavimus omnes:
Bis moniti ſapere addiſcamus. Tu tamen æquo
Macte animo; ſpes affulget; moriente *Sorore*
In ſolamen adeſt *Domini Natale*, reportans
Dulce *Evangelium*. fugiat mors; & novus Annus
Ut benè ſuccedat, non deſunt Vota: Tuíſque
Præreptos, longos Tibi dinumeret Deus annos,
Détque ex Te nobis *Henricos*, détque *Marias*.

H. Ferne, Acad. Procan.

249

Threni Cantabrigienſes.

In obitum immaturum Celſiſſimæ Principis Arauſionenſis Mariæ, *&c.*

TErreſtrem in patriam rediit modò Regia Princeps,
  Ad cœlum ut meliùs carperet indè viam.
Viſeret ut Fratrem venit, nihil ampliùs optans,
  Et Regem & Reducem vidit, & interiit.
Veni, inquit, *Vidi* Carolum, mortalia *Vici*:
  Et Vixi; nihil hìc jam mihi; terra vale.
Ut Chriſtum videat, qui te jam, Carole, vidit,
  Migrare ad ſuperos Femina ſancta cupit.
Cœleſtem in patriam remeavit noſtra Maria,
  Ivit ad Angelicos Anglico ab orbe choros;
A patriâ in patriam, ſurſum hinc ad ſidera: mortis
  Sic locus aptus erat;nec minùs apta dies:
Nempe dies, magnum antevenit quæ proxima Feſtum,
  Et Natalitiis prævia, Chriſte, tuis.
Tunc obiit Princeps, quaſi ſcilicet obvia Chriſto,
  Et Dominum properans anticipare ſuum.
Tempora quàm benè conveniunt! binæ ecce Mariæ;
  Pridiè & hæc moritur, poſtero & illa parit.

Antonius *Comes Cantii,*

Coll. Trin.

Pi.e

Piæ memoriæ Illuſtriſsimæ MARIÆ, *Viduæ Principis* Aurangiæ, *&* CAROLI II *Sororis, Carmen Elegiacum.*

UT proles *Carolina* redit, valediximus unà
  Triſtitiæ, & læti juſſimus ire foras:
Nubibus inſolitis fumant altaria; gaudet
  Votivis tabulis undique ſacra domus.
At rediit malè grata hoſpes; fixítque *fibrillas*,
  Quæ præ lætitia tripudiare modò;
Heu miſeri! occubuit noſtra & *Naſſovia* Princeps,
  Quæ modò ditavit lumine utramque plagam.
Æternum hìc nihil eſt, quicquid dixere Sophiſtæ;
  Quinetiam & cœli corpora fata manent.
Littore ab ortivo pleno jam fulgidus orbe
  Phœbus adeſt, læto & ſidere carpit iter:
Mox ubi proceſſit, mediúmque peregit Olympum,
  Occiduâ extinguit lampada ſerus aquâ.
Nec minùs & ſoror eſt ruitura Argentea Luna,
  Inque vicem fatum ſentit & illa ſuum:
Tu quoque læta Venus, nonnunquam ac Heſperus audis,
  Et mare pulchra ſubis, quæ priùs orta mari:
Quin ſtricto licèt enſe furens immanis Orion
  Occidit, ínque fugam ſidera ſævus agit:
At poſt occaſum redeunt: reditura *Maria* eſt,
  Inter ſtellarum conſpicienda domos.
Nam cœlo delapſa fuit, cœlúmque reviſit,
  Quò Patri & Fratri (credite) grata venit.

Jacob. Fleetwood, Sac. Theol. Doct.
Coll. Regal. Præpoſitus.

הז כל בשר חציר חסרו
כציץ שדה היום פרח
מחר יבש ציצו יאמלל
בקר שמש קדם זרח
בא בערב ארם הכל
ימיו כצל טפח ארך
קלו מני ארג יכלו
אז הולך הוא דרכי חשך
מות הוא לא ישא פנים
שחד לא יקח הוא ישורה
חורים עם הארץ יחריו
נכבר גם הוא לו כנקלה

R. Cudworth, S. T. D. Coll. Chriſti Cuſt.
& L. Heb. Prof.

Ad Sereniſſimum Regem Carolum II, *&c.*
illuſtriſſimo non ità pridem Fratre, nuper
etiam Sorore orbatum.

Filius, & Rex, & Frater, quot nomine trino
Damna nihil merito Fata dedere tibi?
Juſtus es, & pius, & patiens, & fortis, & inter
Tot mala victorem te Deus eſſe jubet.
Plebs peccat, Princeps patitur: duo funera, Gentis
Vulnera ſunt, feriunt hanc tua facta ream.

Robertus Brady, M. D. C. G. C. Cuſt.

In

In obitum immaturum Illuſtriſsimi Principis, Henrici *Ducis Gloceſtrenſis.*

VIginti modò ſunt (quantillum temporis!) anni,
  Cùm cecini cunas, Dux Macarita, tuas.
Quis mihi bis denos tales numeraverit annos,
  Curriculum vitæ quale erat, ecce, tuæ?
Quis tot monſtra hominum, quis tot miracula rerum
  Facta fuiſſe putet? ficta fuiſſe neget?
I, conde Annales, Luſtrorum Geſta quaternûm,
  Et planus, & mendax, deníque mimus eris.
Compone Hiſtoriam; quod ſcribis, fabula fiet;
  Cui vel credula anus vix habitura fidem.
Quàm breve, quàm longum degit Dux optimus ævum,
  Tot varios caſus cui ſua vita tulit!
Tam dubios luſit Fortuna rotatilis *Anglos*,
  Volvit & inſtabiles lubrica ſcena vices:
Scena, cui (Faſtos mundi, & monumenta revolve)
  Nulla dedere parem ſecula, nulla dabunt.
Ergo parallelum huic egit *Gloceſtrius* ævum,
  Tempora magnanimo ſcilicet apta Duci.
Quid virtus teneris, pietas quid poſſit in annis,
  Hoc ſtadium elegit, quo documenta daret.
Hoc ſpatio elapſo, & pacatis undique rebus,
  Credibile eſt illum nunc voluiſſe mori.

Ja. Duport, S.T.D.

Coll. Trin. Vicema.

Εἰς τὴν τῆς ἐνδοξοτάτης Ἡρωΐνης τελευτὴν, Μαρίας, τῆς τῶν
Αὐριακῶν Ἀρχούσης λαμπροτάτης,
Ἐπικήδειον.

Πρὶν πόλεμόν γ' ἐλθεῖν ἐπιδήμιον ὀκρυόεντα,
Πᾶσιν ὃς ἀρχέκακος τοῖς Βρετανοῖσιν ἔην,
Αὐριακῷ πόσεϊ ῷ ἐγήματο δῖα γυναικῶν
Ἡ. Μαρίη, θαλερὸς δ' ἐκτετέλεστο γάμος,
Χάρμα μέγ' εὐμενέτῃσι, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει
Τὸ πρὶν ἐπ' εἰρήνης, ἕως σόα πάντα πέλεν.
Αὐτὰρ ἔπειτα μάχας, ἀνδροκτασίας τε, φόνους τε,
Τὴν δὴ οἰχομένους ἄμμιν ἐπῶρσεν Ἄρης.
Πάντα δ' ἔναλλα γένοντο, Θεοῦ μάλα χωομένοιο,
Καὶ πεφόνευτο πατὴρ, ϗ νέος ὤλετ' ἀνήρ.
Ἤλυθε δ' εἰκοστῷ ἔτεϊ ἐς πατρίδα γαῖαν,
Αὐτήν τ' ὀψομένη, σωζομένους τε φίλους.
Νοστήσαντα δ' Ἄνακτα, ϗ ὑστερόποτμον ἀδελφὸν
Ὡς ἴδεν, ὡς ἔθανεν, ϗ μακαρῖτις ἔην.
Ὡς κακὰ πάντα μεταξύ· ἔχεν δ' ἀγαθὰς δύο ὥρας,
Τὴν μίαν ἐν θαλάμῳ, τὴν μίαν ἐν θανάτῳ.

Ja. Duport, S.T.D.
Coll. Trin. Vicemagiſter.

In Funere Illuſtriſſimæ Heroinæ Mariæ, *Pri*
cipis Auriacæ, Διάλογος Ἐπικήδειος.

Belgia, Anglia,
Moderator.

Belg. REdde mihi noſtram, ſoror *Anglia*, redde *Mariam.*
Ang. O utinam! prohibet dicere plura dolor.
Belg. Ah! quid ais, ſoror? heu nimiùm præſaga mali mens!
Ang. Heu nimiùm mihi ſors flebilis! *Belg.* Immò mihi!
Ang. Noſtra *Maria* fuit, quam nunc ploramus ademptam.
Belg. Veſtra quidem *Virgo*, noſtra ſed *Uxor* erat.

Nos

Ang. Nos dedimus cunas, *Belg.* Thalamos at *Belga* paravit.
Ang. Frater ei *Carolus*. *Belg.* Filius *Auriacus*.
Non mihi depoſitum reddes,Soror *Angliæ*! gemmam
Quàm malè *Londino* credidit *Haga* ſuam,
Auriacam ex *auro* factam,& meliore metallo!
Redde mihi gemmam, (heu!) *Anglia*,redde meam,
Ang. *Belgia*, parce precor, mœrenti parce Sorori,
Nam volui; verùm (heu!) invida fata negant:
Belg. Ah! perii: charam mors abſtulit ergò *Mariam*?
Me miſeram! *Ang.* Miſeram me magìs! *Bel.* Immo
Ang. Non minor *Angligenis* clades data morte *Mariæ*,(minús.
Quàm vel, *Eliſa*,tuâ, vel Soror *Anna*, tuâ.
Belg. Non minor & *Belgis* clades data more *Mariæ*,
Quàm,*Jaquelina*, tuâ, ſive, *Loïſa*,tuâ.
Ang. Non minor *Angligenis*,quàm *Henrici* in funere,luctus,
Seu *patrui* quondam, ſeu modò *fratris* erat.
Belg. Non minor & *Belgis* quàm *Henrici* in funere, luctus,
Henrici Comitis, *Mauritiíve* fuit.
Ang. Haud aliter noſtros ſenſi ingemuiſſe *Leones*,
Cùm raperet Reges Parca nefanda meos:
Cúmve *Stuartiades* ſcelerato in pegmate Martyr,
Auſonio cecidit victima grata Deo.
Belg. Non aliter noſtrum ſenſi ingemuiſſe *Leonem*,
Auriacos raperent cùm mala fata meos:
Aut cùm *Naſſovius Burgundi* glande peremptus,
Heſperio cecidit victima grata Deo.
Mod. Deſinite ô tandem luctu certare Sorores;
Leſſum utrinque parem Præfica Muſa canit.
Æquâ lance agitur res: anſa doloris utrique,
Neutri palma datur. Cor idem, & unus amor:
Indè pares elegi. Communia fata *Britannos*
Et *Batavos* urgent, par Libitina premit.

B *Thameſis*

Thameſis ergò ſuas cum *Rheno* miſceat undas,
Largior & juncto flumine fletus eat.
Nè tamen exundet nimiùm, dare fræna dolori
Spes jubet, & lacrymis fas adhibere modum.
Carolus in tuto eſt, & ludit parvulus aulâ
Auriacus, fulcrum Gentis uterque ſuæ.
Sit ſtabile, ô Superi, firmúmque in ſecula fulcrum,
Terráque dum ſtabit, neutra columna ruat.

Ja. Duport, S. T. D. Coll. Trin. V. M.

In luctuoſiſsimum obitum Principum deſideratiſsimorum, Henrici *Ducis* Gloceſtriæ, *&* Mariæ *Principis* Arauſiacæ.

NUlla dies miſeris viſa eſt tam auguſta *Britannis*,
Quàm quæ Par Fratrum reddidit, & *CAROLUM.*
Quamvìs illa dies multùm feſtiva, Sorores
Quæ cum Matre duas reddidit *Angligenis.*
Intumuit Genti hinc pectus; Sex Numina credit
De cœlo in terras lapſa migraſſe ſuas:
Juppiter eſt *Carolus*, *Jacobus* creditur audax
Gradivus, paſsìm *Henricus* Apollo cluit.
Juno *Maria* audit *Mater*, ſit *Filia* Pallas,
Pulchra *Henretta* ſimul dicitur ipſa *Venus.*
Indè, ſui compos vix *Anglia*, ſexu in utroque
Labitur; Hoſce Deos, Has putat eſſe Deas.
Non tulit hoc Cœlum; divini Numen honoris
Parcum; nóſque nimis noluit eſſe pios.
Diſcite Mortales, dixit, diſcernere dona
Numinis, à ſummo Numine; Cuique ſuum eſt.

Non

Non potuit majora Anglis dare munera cœlum,
  Quàm per Cæſaream quæ dedit ampla domum.
Hinc Pax, libertas, legum veneranda poteſtas,
  Extrà gentis honos, ſingula læta domi.
Verùm habeat Cæſar quæ Cæſaris eſſe fatendum eſt,
  Quæque Dei ſunt, ô! ſint ea tuta Deo.
At medios inter plauſus, populíque triumphos,
  Unica corripuit mors inopina duos.
Dux *Henrice* prior cadis, indè *Maria* ſecuta eſt,
  Is Juvenum, Hæc generis gloria fœminei.
Dignus uterque ſuo Regali Stemmate Princeps:
  Vivere Neſtoreos dignus uterque dies.
Verùm aliter viſum eſt cœlo; quod juſſit in ipſo
  Flore juventutis, Principem utrumque mori.
De ſex Principibus Par duplex ergo ſuperſunt:
  Parce, precor, cœlum! parce ſuperſtitibus.
Jam damnis docti, nos Te veneramur in Illis:
  Illi dona Dei, Tu Deus unus eris.
O Deus, O cœlum! ferventibus annue votis
  Anglorum, hoc unum par ſit utrique malo.
Des *Carolo* dignam, Regum de ſanguine, ſponſam,
  Auſpiciiſque Dei, conjugio *Caroli*.
Anglia, tunc alias expectes læta *Marias*,
  Henricósq; novos, & nova ſec'la Dei.

Fletus & Votum Richardi Love, *Magiſtri Collegii Corporis Chriſti, Profeſſoris* Dominæ Margaretæ, *& Decani Elienſis.*

POſt tot devictos caſus indignáque fata,
Ad Patrias ædes gens *Carolina* redit.
Exultant omnes, cœlo plaudente; ſed eheu!
Non tulit hanc ſortem ſors inimica diu;
Oſcula dum libant lætíſque amplexibus hærent,
Triſtibus (heu) fatis Unus & Una cadunt.
Ah Mors *crudelis, nullíſque inviſior Umbris,*
Debuit hoc ſaltem non licuiſſe tibi.

Guil. Dillingham, S. T. D.
Coll Emman. Præf.

In præmaturum obitum Illuſtriſsimi Principis,
Henrici *Ducis Gloceſtriæ, &* Mariæ *Principis Auriacæ.*

SCilicet & pœnas vel ſic luis Anglia, Regis
Heu nimiùm pertæſa genus, nec judice cœlo
Pœnituiſſe impunè licet: temeraria vota,
Quæ jam retractas, vota ableganda ad Avernum
Jam tandem exaudit Deus. O tu cautiùs aras
Sollicita poſthac, nec tantis ſumptibus erra;
Annuat invitæ ne fortè auritus Olympus,
Nempe ſuo fato Princeps vix occidit; illud
Diſcito; plectuntur Reges, quia peccat Achivus.
Cùm populi peccata vocant, è millibus unus
Sis *Henrice* licèt, terræ ſis charus & aſtris,
Cedendum eſt Fatis, nec te tua multa, *Maria,*
Labentem ſervat pietas. ô nos homicidas!
O patricidas nos,qui penè occidimus ipſum

Regem! pars Regis quanta eſt fratérque ſorórque!
Ergóne Rex tantis defunctus ubique peric'lis
Membratim cadet, ac alieno funere ſenſim
Languens, ſic claudet paucos inglorius annos?
Naufragium in portu faciet? ſic tempora carpis
O Deus, & fatis contraria fata revolvis?
Nondum placârunt ardentes numinis iras
Herôum tot fuſæ animæ, tot ſanguinis imbres?
Vix rediviva aliâ delebitur *Anglia* morte?
Non itâ. Semianimes cur ergo hæc funera flemus?
Cur quaſi defoſſos *Anglos Batavóſque* ſepulcro?
Ultima cur metuit populus? feretrúmque ſequuntur
Regali ſtirpi, Regi, Regnóque timentes?
Qui Deus inſidias, dum abrupit ſtamina tanta,
Prodidit, inſidias, technas, fraudéſque paratas
Regis in exitium & vanas diſſlavit in auras,
O quàm certa dedit ſummi documenta favoris
Qui Regi & Regno, qui murus aheneus, Urbi!

M. Barlow, M. D.
Regal. Coll. Soc.

Ad Sereniſſimum, pietate ſecundum nulli, Monarcham CAROLUM, *de* Henrico *fratre ipſius Illuſtriſſimo, & ſorore* Mariâ *laudatiſſimâ, defunctis nuperè à morbillis, ſeu puſtulis,* Παραμυθητικόν.

CAROLE Magne, ſtupor qui es maximus orbis Eoi,
Heſperiíque, tui deliciæ populi,
Verè appelleris Naturæ ænigma, doloris
Natus, Benoni, lætitiæque parens;

Maximus & Paruus nam qui Cedrus alta, videris,
(Cùm ſis mirè humilis) parua Myrica Tuis;
Candidus atque niger, candore notabilis, ater
Crebris, quæ obtenebrant gaudia veſtra malis:
Quin Tu Chriſtophorus, qui Jeſum pectore geſtat,
Curarumque humeris qui grave portat onus,
Tu Cruciger dicaris: in unum quando beato
Connubio coëat cum Cruce Chriſtus; * Ova;
Et lætos reboa linguâ modulante triumphos,
(O dilecte Tuis, chara Dei ſoboles)
Dum pede funeſto mors pulſet limina veſtra.
Præferat accenſas & Libitina faces
Aulæ funeribus, mortis ſint illa trophæa,
Quin & Schiſmaticis ſint melimela, jocus,
Invida quos torquet mens, & maleſuada Sioni
Dum noſtræ exoptent dira: maligna cohors,
Enthea turba, flagris agitat quos triſtis Erinnys,
Quos mala delectant, Feſta nec ulla colunt,
(Sic averſantur Sanctos & Sancta) niſi undè
Lætitiæ arripiant pabula opima ſuæ:
Quænam ea! mors, morbi, bella horrida: ſic Scarabæi
Fimetis gaudent, ſic quoque ſtercus olent
Fœtidi & impuri. Frendant nunc omine triſti,
Nocturnæ horrendum vociferentur aves;
Nos obtundemus cœli atria vocibus, ut Te,
Magne Parens, gremio ſervet amica ſalus.
Vivas, & valeas, Chriſto auſpice; pignora amoris
Qui Tibi donavit plurima, plura dabit:
Hoc unum reputes, quòd pullis obſita Regni
Totius maculas Curia veſtra luat.
Audite hæc timidi; Regali ſanguine mites
Placantur Superi: victima bina cadens

** 1 Pet. 4. 13. In eo quòd conſortes eſtis afflictionũ Chriſti, gaudete, &c.*

Sedabit,

Sedabit, ſpero, cœleſtis Numinis iram,
Obſtruet ac Peſti puſtula fœda viam.

Deo Omnipotenti,
Miſericordiarum juxtà & Sanctæ Linguæ Patri,
Pro ſalute Regis & Regalis Proſapiæ,
Εὐκτικόν.

למה רגשו ריק העמים
אנשי מרי תוך ורמים
למה נוסר · על המלך
הפריץ אשל אמר אלך
ואברתי מן הארץ
כל זרעו ויפרח פרץ
במלכותו

יהוה עלית בורא עולם
לעג למו השמע קולם
פזר לאמים במלחמה
החפצים. זיו וכהמה
אל יברסם כרם אשר בטע
ירך ולא יצליח רשע
בזמיתו

בן ימינך הכן חורים
הושע כרלוס לדור הגרים
תהי נא נסו ומנסו
רשן בשמן שמחת ראשו
כן אנחנו בגיל מלכינו
ונרנן לך בכל ימינו
אמן ואמן

Ad

Ad noſtri ævi Aſtrologos παρακλητικόν.

LUdit in humanis ſors imperterrita rebus,
Ludus is attonitos nos ſæpe in ſeria ducat.
Unde hoc, veſperiis quòd ſit defuncta *Maria*
Natalis Domini, qui nos à faucibus Orci
Naſcendo eripuit? monitos vos indè velimus,
Ut cùm Sanctorum decorentur nomina rubris,
Sancta inſcribatur veſtris hæc Diva libellis,
Auratis titulis. Sic dum Natalia trinis,
Ornentur Feſtis juxta comitantibus, alt'ro
Præfixo, magni Dux ſit pia fœmina Feſti,
Effulgens ſtellas velut inter Luna minores.
Joannis pietas, *Stephani* patientia, pura,
Et mens *Infantum* ſimplex rutilabat in illa.
Quâ Duce nos tuto pergamus tramite, cœlos
Dum petimus, mores ſectantes ejus, Idea
Quæ fuit ipſa boni: Nam quæ diviſa beatos
Efficiunt, Diva hæc conjuncta tenebat, *amatrix*
Chriſti, *Sponſa* Dei, & nunc *Incola* ſplendida Cœli.

Cujus ſepulchro hoc Epitaphium inſeratur ἐγκωμιαστικόν.

Hìc jacet *Maria*
Prodigæ Naturæ gemma,
Opificium Gratiæ,
Nobilitatis lemma.
Principis *Auriaci* conjux clariſsima, Neptis,
Conſobrina, Soror, clari quoque Filia Regis.

Cujus

Cujus fœdârunt corpus puſtulæ ,
At nullæ puram mentem maculæ ;
Vidua, &, quia caſta, Virgo,
Jámque virginum immiſta choro
Salvatori læta recinit Cantica,
Nobile perpetuâ caput amplexante coronâ.

R. Boreman, S. T. D. Trin. Coll. Soc.

DUm Reducem ſibi tota canit *Brittannia* Regem,
Lætitiæque ſacrum tollit ad aſtra ſonum;
Neſcio feſtivos quæ abrumpens fama ſuſurros
Ex inopinato publica damna refert:
Heu! nondùm *Henrici* defleto funere noſtri
Altera triſtitiæ cauſa *Maria* venit?
Amiſſum tamen *Hâc*, vel quantum eſt inſtar in *Illo*
Si querar, adverſis ambitioſus ero:
Hæc micat externas latè celebrata per urbes,
Auriacas inter gloria prima Nurus:
Ille juventutis Princeps, Mens alta Senatûs,
Quâ non erubuit concio ſtare Patrum:
Laudem intertexunt Proavitis faſcibus ambo,
Ac genti æternum legat *uterque* decus.
O ſemper rigidi nimia inclementia cœli!
An ſimul ex omni parte nocere ſtudes?
Multa quidem ſimplex peperit ſuſpiria vulnus,
Cognita quæ ſolis montibus eſſe reor:
Heroum at quando exequiæ denſantur acerbæ,
Et nos mille jubent fata perire modis;
Flebilibus fracta officiis *Academia* marcet,
Caſtaliiſque ſtupet turba novena jugis:

250

Vix ego (nam fateor) vix ſingultantia poſſum
  Mœſtus in invitos cogere verba pedes:
Ut ſe contineat nam quis tam ferreus unquam,
  Regia cùm videat nomina poſſe mori?
Hoc erat ergo nigris gravidus quòd nubibus Auſter
  Deflet, & aſsiduo verberat imbre ſolum?
Hoc voluit Natura parens, dum præfica luctûs
  Non intermiſſo flumine fœdat agros?
Scilicet infando ſuccurrunt cuncta dolori,
  Humanéque ferunt triſte miniſterium:
Se *Thamiſi* inſinuans *Vahalis*, ſe *Moſa Tuëdæ*
  Concedens, ſocias turbidus auget aquas:
Nam jactura necat *Belgas* communis, & *Anglos*,
  Penè dies gentes opprimit una duas.

Radulphus Widdrington, S. T. D.
Academiæ Cantab. Orator.

INdue funeſtam, viduata *Britannia*, pallam;
Poſt Ducis *Henrici* Gloſtrenſis fata, *Mariæ*
Principis Auriacæ deſivit ſpiritus aurâ
Veſcier æthereâ; Hanc duræ inclementia mortis
Eripuit terris, ac funere merſit acerbo.

Nil juvat excelſi moles operoſa palatî;
Nî teneant validæ ſubnixum opus omne columnæ:
Sic, dum Semideis proba fulcimenta Dynaſtis
Eripit è ſtadio virtutis flebile fatum;
Neſcio quod ſcævum mens protinus augurat omen.

Sancte parens, hominum miti res adſpice vultu;
Ac tandem motus animi compeſce rebelles,

Et

Et ſævos Populi Mores Deus ipſe refinge!
Ne ſtolidi ſanctum ſi fortè laceſſere Numen
Pergimus, & ſcelerum furiis jactamur & œſtro;
Ardeſcas vindex Deus exſtimulatus in iras;
Ac feriat noſtrum Caput illætabile fatum:
Protege Chriſte Caput Regem: quo ſtante viremus:
Perpetuâ cujus gaudent reſidere ſub umbrâ
Euſebie, Charites, Sophie, Themis, & Meditrina.
Porrige de cœlo, Deus optime, porrige dextram.

Vince feros, Pax, vince animos; allabere felix
Præpetibus pennis; & quæ ſub origine mundi
Fluxerunt, jam terricolis refer aurea ſec'la.
Aut, ſi non omni licet eſſe ex parte beatis,
Qualemcunque velis, ſerva Deus optime pacem!
Nulla ſalus bello, Pacem Te poſcimus omnes.
Pax juſto melior quamvìs injuſta duello.

Suſpirium *Johannis Francſ, M. D.*
*è Coll. S*ti *Petri.*

Κλεολίδαι δῖοι, ἱερῆς βλαστήματα ῥίζης
Κεδνὼ, κλυτὸς κοῦρος, καὶ χαρίεσσα κόρη.
Κοῦρος, ἐὴς ἐλπὶς, σύνθημά τε πατρίδος αἰής,
Τῆς φάος ἱμερόεν, τῆς πόθος ἀλγινόεις·
Μᾶλλον ὅλου κόσμοιο τέρας, καὶ θαῦμα πέλωρον,
Τόσσον ὑπεκπροθέων ἤθεσιν ἡλικίην·
Ἥβη μὲν νέος ὤν, ἀρεταῖς δ' ἀκμαῖος ἁπάσαις,
Καὶ τέλεος πινυταῖς ἐν πραπίδεσσι γέρων.
Βέλτιστος φρονέειν τὰ δέοντα, δέοντά τε φράζειν,
Νοῦν μὲν ἔχων θεῖον, καὶ στόμα μειλίχιον·
Θεῖον ἀπ' οὐρανίης φύσιος νόον, αὐτοδίδακτον,
Πρός τ' ἄλλοις τεχνῶν φέγγεσι λαμπόμενον·
Καὶ στόμα μειλίχιον, πάσαις γλωσσῶν ῥέον αὐδαῖς,
Ὅσσαις φθέγγονται νῦν βροτοὶ, ὅτε πάλαι.
Γενναῖος δ' ἦν φυὴν, πρᾶος, καὶ καρτερὸς ἥρως,
Ἐν ἀγορῇ πρᾶος, καρτερὸς ἐν πολέμῳ·

Ἀμφοτέρας ἰδίοις ἀρεταῖς χαιρέσιν ἀγαυάς,
  Τοῖς τ' ἐχθροῖς φοβερὰς, τοῖς τε φίλοις γλυκεράς.
Εἶδος ἄριστον ἔχων, δεινὸς ἄλκιμον· ἢ μὴν ἐκείνῳ
  Σώματος ἐν θαλάμῳ Κυπρίδι μίσγετ' Ἄρης.
Καὶ σὺ γυναικέης, νύμφη βασιλήϊον ἔρνος
  Κάλλιστη, ἀρετῆς δεῖγμα φαεινότατον·
Εὐγενίῃ πασῶν μὲν ὑπείρεχες ὅσσα γυναικῶν,
  Μορφῆς ἀγλαΐῃ, καὶ φρενὸς εὐπρεπίῃ·
Ἀμφοτέρων εἶδός τε, φυήν τε λαχοῦσα τοκήων,
  Μητρῷον κάλλος, σωφροσύνην πατρὸς.
Ἀκτῖσι χρυσῇσι καλὸν στίλβουσα προσώπῳ,
  Ψυχῆς λαμπρότερον δ' ἔμφρονι μαρμαρυγῇ·
Ὄμματα τοῖς ἕλκουσα βροτῶν, τέρπουσά τε, τῆδε
  Σπουδῇ ἀνθρώπων ἡδυμόχθους κραδίας.
Πότνια Ἀνειακοῦ γενεὴ ἡγεμόνος ἀγαυοῦ,
  Ἀνειακοῦ μήτηρ δῖα καλοῦ θάλεος.
Πιστὴ ξεινοδόκος βασιλῆος ὁμαίμονος, ἀνδρῶν
  Φεύγοντος χεῖρας γηγενέων ἀνόμους.
Ἄλλη Ἠλέκτρη, θυγάτηρ Ἀγαμέμνονος ἄλλη,
  Καὶ μέτοχος κοινῆς ἐκδίκου εὐσεβίης.
Φεῦ, πόσους θάνατος, κλέπτης κακομήχανος, ἡμῶν
  Θησαυροὺς ἀρετῆς ἥρπασε καὶ σοφίης;
Ἤθεον μὲν ἄριστον, ἀδελφὸν, ὑπήκοον, υἱὸν,
  Βελτίστην τε κάσιν, μητέρα, θυγατέρα.
Ἄμησεν δηλὸν πολυανθέα θαλλὸν ἄωρον
  Μοῖρα, σιδηρείῳ μαινομένη δρεπάνῳ.
Βρεττανικοῖο δύω περικαλλέα δῖον Ὀλύμπου
  Ἄστρα, τὰ νὺξ στυγερὴ, λυγρὸς ἔκρυψε ζόφος.
Πῶς ἄμμιν διπλῆν φθάρεν ἐλπίδα νοῦσος ἀποφρὰς,
  Νώνυμος γλώσσῃ νοῦσος ἐν Ἑλλαδικῇ;
Ἄγνωστος Φοίβῳ νοῦσος καὶ παισὶ παλαιῶν
  Ἰητρῶν ἱεροῖς, εἴθε καὶ ἡμετέροις·
Φῦμα κακὸν κόσμοιο γέροντος νοῦσος ἄνικος,
  Μᾶλλον λευγαλέη νηπιδίων ἀγέλῃ·
Νηπιδίων ὅλων στρατὸς ἄσπετος, εἰς ἕνα ταχθεὶς,
  Καὶ βίον ἐσσυμένως εἰς ἕνα μαρνάμενος.
Ὦ δεινὲ κροκόδειλε τύχη, κλαίουσα διώκεις,
  Δυστήνους κτείνεις ὡς ἐλεοῦσα βροτούς·
Φείδεαι ἀθλεύντων, φθείρεις νικῶντας ἄνακτας,
  Δόντας τ' εὐμενέσιν δῶρα πρέποντα θεοῖς·
Εἰς ἀΐδην πέμπεις στεφανώμενα κρᾶτα, θριάμβοις
  Ἐμμίξασα ταφὰς, ἄλγεα χαρμοσύναις·
Ἐνδόξοις σώζεις ἐνὶ κύμασι ποντοπορεῦντας,
  Ἐν μέσσῳ κλύζεις σωζομένους λιμένι.
Αἰεὶ τέκνα φυγεῖν βασιλήϊα κέρδιον εἴη,
  Εἰ φθονερὴν γαῖαν μήποτε νισσομένους,

Μοῦνον

Μοῦνον τύμβον ἔδωκε φίλῳ εἰς πατρίδα νόστος·
Οὐ τὸ ζῆν οἴκοι τὸν πότμον, ἀλλὰ θανεῖν.

Iſ. Barrow, Trin. Coll. Gr. L. Pr. Reg.

FRange leves phialas, & ſcinde, *Galene*, libellos,
Hippocrates triſtem nutriat igne rogum,
Si, cui vix aliquid fuerat mortale, *Mariam*,
Sanare infirmam non medicina valet.
Actum eſt de vobis miſeris, quos longior ordo
Morborum cruciat, ſeminecéſque tenet.
Sic fruſtrà incuſo lacrymoſus; *Phœbus* at aurem
Vellit, fata, inquit, non fugienda vocant.
Vix mortalis erat? fateor, ſic nempe probârunt
Dum rapiunt tales invida fata Deas.
Hinc Medicis poſthac parcas: hoc nomen adora,
De *Medicis* ortum jactitat illa ſuum.
Hinc mali verè Medici fit ramus, & illâ
Jam morte avulſâ, filius alter adeſt.
Sanans hoc titulo gaudet, felixque *Senatus*,
Nomine nec potuit ſplendidiore frui.
Tu quoque, diviſi Rector ter Maxime mundi,
Nè languere *Anglos*, aut tua regna ſinas.
Seu cupis armatos ſanare rubigine ferri,
Quod nocuit, ſana, ac inſtar Achillis eris;
Seu latet intus adhuc quoddam *immedicabile vulnus*
Enſe recidendum, ſcindito, Cæſar eris.

Ja. Jackſon, M. D. A. Cl. P.

AN veteres in nos iras, fortuna, reſumis,
Novi favoris & piget,

In ſedes patrias revocatam, ictu repetito
Quòd Regiam truncas domum?
Quòd geminam rapis è *Carolino* ſidere ſtellam
Noſtro redonatam polo?
Sacrâ ſtirpe *Ducem*; noſtræ ſpem pubis, & Aulæ
Lucem renatæ tertiam;
Fœmineíq; chori ſupremam, ſanguine, formâ,
Virtute claram *Principem*.
Illum, cui roſeæ pubeſcens gloria frontis
Lenire fatum debuit;
Excelsíque animi creſcens prudentia juſtas
Popoſcit ætatis moras;
Quæ nobis, penè in puero matura, dediſſet.
Qualem virum? quantum ſenem?
Non illo quiſquam penetrare ſagacior alti
Fuiſſet arcana imperî,
Non alius rerum ſummas tractâſſet habenas
Peritiori quis manu:
Quid reliquas memorem virtutes, gaudia nuper,
At noſtra nunc ſuſpiria?
Quis fuit in bello generoſi pectoris æſtus,
Quàm fortis & promptus fuit!
Ingenii dotes, naturæ dona benignæ,
Quot diſciplinis auxerat!
Quàm varias didicit linguas, & calluit artes
(Res mira) Regius puer!
O nunquam juſtis magìs opportuna querelis,
O Parca nunquam immitior!
Improba, quid tantas ſpes infelicibus *Anglis*
Oſtendis & tollis ſimul?
Hanc quoque (matronas inter quæ luce coruſcâ
Ut Cynthium fulſit jubar,

Inſignis

Inſignis formæ radiis, virtute ſeverâ,
Morúmque jucundâ indole)
Stemmatis Auriaci matrem, cui Martia debet
Stirps inclytam propaginem;
Cùm natale ſolum, patriáſque reviſeret oras
Poſt pertinacem abſentiam,
Excepit parcâ nimiùm falſâque ſalute
Inhoſpitalis Anglia;
Cavit enim nè quà rurſus diſcederet, atque
Invidit illam Belgio.
At temerè junctis ea dum tenet, enecat, ulnis,
Sortis minùs tenax bonæ.
Sic magni proles *Caroli* numeroſa, maligno
Fati ſuperbi crimine,
Decreſcit, noſtríſque minor gens Regia votis;
Tantúm ſuperſtes eſt Trias;
Forſan ab hac etiam nobis ſors auferet unam
Reges daturam Galliæ.
Divinum in *Carolum* jam, magnanimúmque Jacobum
Spes contrahuntur Anglicæ;
Cura Deûm incolumes hos ſervet, protegat ut nos
Mens hujus, & hujus manus.

Guil. Lynnet, Coll. Trin. Socius,
Acad. Proc. Sen.

SIccine perpetuâ rerum vertigine fertur
Anglia? ſic fuſos volvere fata ſuos?
Gaudia quòd nunquam nobis ſincera propinent;
Læta ſed intexant miſta dolore pari.
Quæ modò Cæſareos ſonuit campana triumphos,
Quàm citò ferales induit illa modos?

Quem

Quem nuper *Carolo* veniente accendimus ignem,
  Protinus in triſtem cœpit abire rogum.
Dum læti Regale nemus, quercúmq; ſtupemus
  Felicem; en ſubitò mœſta cupreſſus adeſt!
Dúmq; epulas agimus (ſic mos *Ægyptius* olim)
  Inſerit in medias mors caput ecce dapes!
Heu nos bis miſeros! iterato læditur ictu
  Regia ſtirps; cadit hìnc frater, & indè ſoror.
Jam pede non æquo mors Regem inopémq; repoſcit:
  Pulſat Regales crebrior illa fores.

At quorſum ereptos querimur? vixêre, *Britanna*
  Ut videant *Caroli* Sceptra repôſta manu:
Quo facto, nil majus habet cùm terra videndum;
  Cœlicolûm meritò tunc petiere domos.
Accedant igitur tandem pia vota dolori:
  Qui fundit lacrymas, fundat & ille preces.
Ut quantò plures ramos mors amputat, arbor
  Regia plùs vigeat, duret & indè magìs;
Quótque immaturis fatum præciderit annos,
  Seriùs ut tantò *Carolus* aſtra petat.

Jo. Sherman, Acad Procur. alter,
Coll. Jeſu Soc.

GEns Anglorum ingrata Deum contemnit; & hujus
  Nequitiæ pœnas ſtirps *Carolina* luit:
Cujus relliquias multos feliciter annos
  Si cupis ex animo vivere, vive piè.

Tho. Smith, S. T. B. Chriſti.

Poſt

P*Oſt varios caſus, poſt tot diſcrimina* belli
Cædibus horrendi, poſt duri ſecula ferri,
Angliacis renovata plagis poſt tempora pacis,
Vel bello pejora gravi, ſuſpiria tandem
Triſtia, lugubres gemitus, crebróſque dolores,
Imáque vexantes cordis penetralia curas
Miſit in exilium, *Carolo* redeunte, Britannus.

At nunc ſæva truces vultus fortuna reſumit,
Magnáque lætitiæ memorans præludia noſtræ
Compenſat majore malo, pro more jocandi:
Quas tribuit citò demit opes, & nullius altas
Tranquillo ſaltare diu ſinit æquore naves:
Quæ modò cum viridi creſcebant gaudia flore,
Occîdit primâ mors importuna juventâ.

Nunc iterum ad gemitus, iterum ad ſuſpiria mœſta
Parcarum revocat non exorabile numen.
Ambroſias magnâ formas ſtravere ruinâ
Hoſtiles morbi, ſpoliíſque cruoris opimis
Lætantes tumuere magìs, nil ſuccus, & herba,
Nil medicæ valuere manus, ars victa *Galenum*,
Heroéſque ſalus, quamvìs invita, reliquit.
Omne ſibi facinus credunt licuiſſe ſorores,
Queîs vitæ, rapidæque necis conceſſa poteſtas:
Ictibus injuſtis, & crebro vulnere gaudent
Terreſtres violare Deos, non forma, nec ætas,
Nec populi movere preces, heu! ſacra profanant
Corpora, quæ gentes toties coluere propinquæ.
Purpureus læto veluti flos occidit horto,
Nativúſque decor moritur, quum fortè puella
Devehat avulſum, vel quum ſua culmina curvet

Spiritus *Arctoo* bacchantis cardine venti:
Sic magnus cadit *Henricus*, ſic Diva *Maria*;
Ah! nimium properis ſurreptus uterque ſepulchris.

Quis paria his unquam damnis ſuſpiria poſſit?
Quis lachrymas proferre pares? nemo, hercule nemo:
Lumina bina licèt ſemper duo flumina fiant.
At tu mœſta graves moderare *Britannia* luctus:
Qui bene vixerunt, nequeunt malè morte perire.

Theod. Croſland, Trin. Coll. Soc.

GAudemus miſeri ſimúlque flemus,
Bino pectora concitantur æſtu.
Regem, poſt varios ferósque luſus
Fortunæ, patriam tenere ſedem,
Divinum radiis caput decoris
Cinctum lumine provocare ſolem,
Gaudemus. Gemimus tamen duabus
Vim fati viduâſſe regna gemmis.
Alternat miſeros jocos maligna
Fortuna, inſtabiles vicéſque ſervat.
Nondum poſt *Carolum* ſuis receptum,
Effuſo fuerant ſoluta riſu
Ora, ut parturiunt iniqua fata
Luctus & gemitus ſolutiores!
Nec primam miſeros licet dolores
Poſt cladem excutere: urget uſque fatum.
Fluctus fluctibus ut premuntur alto;
Funus funere ſic recentiori
Urgetur: dolor excipit dolorem.

Princeps

Princeps occubuit! nefas rogare
Ultrà, ſufficit eſſe *Carolinam*;
Quicquid Principe laudibúſque dignum
Iſto nomine crede contineri.

J. Edwards, Regal.

QUænam illa lento mœſta procedens gradu?
Quid immerentes laniat incaſſum comas,
Et laſſa multo corda ſingultu quatit?
Agnoſco vultum divitis *Britanniæ*,
Et ora crebris irrigata fletibus.
Nunc feſſa durum lumina in cœlum levat,
Nunc ore dubium pectus adducto ferit,
Variíſque celſum motibus quaſſat caput,
Et in omne demens colla rejectat latus,
Incerta ſecum murmurans; habitu quoque
Confeſſa caſum, prænitentem purpuram
Diſpunxit atris inquinata ſordibus;
Lauro cupreſſum junxit, & ſuſpirio
Triſti tenella ſtrangulavit gaudia.
Namque heu! *Britannos* ſemper aſperiùs premis
Fortuna mendax, & triumphorum decus
Ingens acerbis obruiſti luctibus;
Et nos doloſos inter amplexus necas,
Roſeámque fœdâ nube conſpurcas diem.
Sic cum coruſco lumine ornatus Pater
Phœbus, ſereno medius incedit Polo;
Ingrata ſiſtit Luna fraternum jubar,
Et orbe nigro ſidus auratum tegit.
Jam cuncta feſtis perſonabant luſibus,

Nec jam canoras ære ferali tubas
Horrebat Anglus, ſed lyram, & dulcem chelyn,
Citharámque molli motitabat pectine:
At inchoatos pompa lugubris jocos
Turbat, feróque frendit aſpectu minax
Mors; & recentem territat rictu chorum,
Bináſque dextrâ jactat inſultans faces.
Pieria primo fulmine obſtupuit cohors,
Tumidóſque fluctus littore incluſit ſuo:
Sed cùm tremendum fata geminarent malum,
Divulſit adverſum aggerem exundans dolor,
Lacrymæque rupto proruentes obice,
Largo rigentes imbre merſerunt genas.
Regina noſtras *Thameſis* in partes venit,
Trahítque ſecum *Moſa* ſociales aquas,
Et ipſe *Rhenus* flumine immenſo tumens,
Capútque triſti vinciens arundine,
Nobis amico congemiſcit gurgite.
Hæc funera omnes orbe toto defleant,
Nam tot dolores una non tellus capit.

Rob. Grove, M. A.
Coll. D. Jo. Evang. Soc.

In obitum celeberrimæ Principis Aurangiæ *non multo poſt fratrem Ducem* Gloceſtriæ *vitâ defunctæ.*

LAcrymarum Oceanus,
Quem nuperò doluimus irrupiſſe in Angliam,
Ad Belgii littus reverberatur:
Jam ſumus lugubres fœderatæ præficæ.
Fata nimirum regia

Pro-

Prohibent luctus monoculos.
Siccine individuus amor
Te Principem chariſſimam
Duci Gloceſtriæ fratri conjunxerat?
Ut nec marmor ſepulcrale interponat diſtantiam?
Reviſâ. Angliâ; chari exules
Novum inſtituunt iter in cœlum,
Ante obitum non æſtimandi rediiſſe in patriam.

EPITAPHIUM.

HIC jacent
Spei Britannicæ ille Heſperus,
Salutis Belgicæ illa veſper,
Ambo crepuſcula gloriæ:
Duo Theatra honoris,
Virtutis Epitheta,
Orbis Exempla;
Et, cui ineſſe grande quid neceſſe eſt,
Sacræ Caroli *primi reliquiæ.*
Abi viator,
Et virtutes, quas terris inviderunt cœli,
Suſpice & mirare.
B.T. M.A. C.D.J. S.

ANnos bis ſeptem longinquis exul in oris,
Nulla ubi *Cirrha* unquam, nullus *Apollo* viget:
Nec dum (quâ ſtudeam) cùm ſit mihi reddita ſedes,
Nec quæ ſeceſſum præbeat ulla domus:
Carmina non poſſum, gemitus tamen edere poſſum;
Indulget pectus, quod mihi lingua negat.
Chr. Bainbrig, Chriſti Coll. Soc.

ORbibus abrepti *duo* jam cecidere *Planetæ*,
Hermes, & caſto lumine plena *Venus.*
Quàm bene juncta ſuo fulſere hæc ſydera *Phœbo*!
Claráque quàm ſubitò ſydera luce carent!
Luce carent? fallor. Cœlo *defixa* ſupremo
Æternùm rutilis ignibus illa micant.
Nubilus intereà eſt ſociis privatus *Apollo*,
Horridus *Arctoúmque* æthera luctus habet:
Mars, belli fulmen, túque ô pulcherrma *Phœbe*,
Nobile Fraternam par recreate facem.
Diſcute *Sol* nubes; nam ſi tua lumina deſint,
Mox morimur: Tellus, te pereunte, perit.

Epitaphium Henrici *Gloceſtriæ Ducis.*

Hic jacet illuſtris *Carolino* ſtemmate *Princeps*,
Mente *ſenex*, altâ fronte *vir*, ore *puer.*
Fructu *longa*, *brevis* curſu quem vita reliquit,
Gloceſtræ & vitæ ſcito fuiſſe *Ducem.*
Plura loquuturum gemitus vetuere. Viator,
Perge, & ab Angelico cætera diſce choro.

Mariæ *Principis Auriacæ, &c. Tumulus.*

Fratris Amor, Sexûs Exemplar, Patris Imago,
Deliciæ Charitum, Norma pudicitiæ,
Tutamen fidei, profugæ virtutis Aſylum,
Aulæ Temperies, Relligionis Apex,
Martis (adhuc pueri) Genitrix, Candoris Alumna,
Muſarum Nutrix quæ fuit, ecce, fuit.

Principis iſta tuam componant Marmora vitam,
Hoſpes, & a tanto Numine diſce mori.

In

In Obitum ejuſdem Epicedium.

Tam nova, quàm noſtris grata heu! nimis hoſpes in oris,
Ah! nimiùm cœlo fœmina digna, jacet.
Anglia vix ſpirârat A V E, cùm protinus (eheu!)
Expirans regerit *Sancta Maria* V A L E.
Dulce decus *Batavûm* (toties quâ Regius exul
Hoſpite ſoſpes erat) *Sancta Maria* vale.
Chara tuis, chara & nobis, chariſſima Fratri
Venerat, en! Superis charior hoſpes, abit.
Nempe Patrem repetens, cujus quia caſibus olim
Perculſa eſt, læto geſtit adeſſe comes.

O tandem poſitis *myrtos* tibi ſume *cupreſsis*,
Próque ſorore parem, C A R O L E, redde Deam!

M. Thruſton, A. M. C. G. C. Soc.

Ludibrium fati gens *Anglica*, vertice cœlos
Nunc ferit; at ſubitò *Tartara* nigra petit:
Hic pictos videas *Divos*; ut blandit Imago!
Oſtentat *Genios* verſa tabella *Malos*.
Innocui *Caroli* placidas ſentimus habenas;
Mox *Cromwellus* adeſt: Quis *Phaëtonta* ferat?
Læta dedit *Maius*, *Carolinum* ſtemma reſurgit;
Numina quanta! diu *Maius* adeſſe nequit:
Autumnum patitur noſter paradiſus; amænis
Hortis *Alcinoi* præcoqua poma cadunt.
Aurea poma diu peperit *Carolina* propago;
Aurea poma cadunt pondere preſſa ſuo.
Sic jacet *Henricus* maturus & aureus; ævi
Phœnix, deliciæ, ſpéſque, decúſque ſui;

Ingenii

Ingenii vultúsq; Patris, dum vixit, imago,
  Uniúſque obitus funera bina dedit.
Occidit *Henricus*; quantum gemit *Anglia* nomen!
  Miſceat at mœſtis *Anglia* læta ſuis;
Vivit adhuc *Carolus*, fixarum lumen ademptum
  Quis niſi mentis inops *Sole micante* gemat?
En tibi ſolamen miſeris, emergit ab undis
  Carole Magne, Soror; ſic *Venus* orta mari.
Belgarum Stygióſque lacus, pigráſque paludes
  Deſerit, *Elyſium* viſere, *Car'le*, tuum.
Sic petit *Hebræas* arces *Regina Sabæa*;
  Anglia ſub *Carolo* non *Solomone* caret.
Non aliter rapidos agitans pia *Cynthia* currus,
  Exoptat thalamos viſere, *Phœbe*, tuos.
Phœbo juncta ſuum deponit *Cynthia* lumen,
  Angligenûm Soli juncta *Maria* perit.
Alma *Venus* periit; periit Regina *Batavi*
  Magna maris, nautas Numina nulla manent.
Ingeminant *Belgæ* leſſus, reſonántque *Britanni*,
  Amiſſámque gemunt littora grata *Deam*.
O ſi Te tua fata tuis latuiſſe dediſſent
  Ædibus, aut fidâ nos adiiſſe rate!
Cur patriam moritura ſubis? *Fratríſque*, *Patríſque*,
  Infamis fatis eſt Inſula noſtra rogis.
Sed nos exagitat *Nemeſis*, ſcelerúmque ſubimus
  Ultores ſtimulos; hinc furit ira *Jovis*.
At vos, ô Superi! tandem ſuccurrite laſſis;
  Naufraga nè pereat noſtra carina vadis.
Quid Dux *Henricus* meruit? quid *Sancta Maria*?
  Sit ſatìs iratis victima tanta Deis.
Quid *Carolus* meruit? patriis priùs exul ab oris,
  Jam ſolio fretus, *Martyr* & *Exul* erit?

Parcite Dii! toties paſſo, mala nulla merenti,
Abſit ut innocuus crimina noſtra luat.

J. Felton, Coll. Gon. Cal. Soc.

PErdidimus magnam magno cum fratre ſororem,
Ille ſui ſexûs gloria, & illa ſui.
Una duos peperit fœcundo viſcere mater,
Et lethi facies abſtulit una duos.
Deſinat ulteriùs totis ſævire diebus,
Nam magnum quod agat tertia febris habet.

T. Haymes, Coll. Regal.

In obitum illuſtriſs. piiſsimæque Mariæ, Aurangiæ *Principis, quæ paulò poſt fratrem* Gloceſtriæ *Ducem fatis ceſsit, Carmen Lapidarium.*

AUdi ac animadverte, Viator,
Cùm lugubrem hanc intueris urnam,
Inſenſam luge fatis *Britanniam*,
Tam illuſtrium Principum
Cunis & ſepulcris infelicem.
Vóſque cineres, ſublimius merentes Elogium,
Cùm impolita adeò videatis carmina,
Et defatigatas querelis Muſas,
In proprium coaleſcatis Epitaphium,
Univerſæ virtutis Panegyricon ac Epitomen.
Nequeunt non gemebundæ *Pierides*
Crebrioribus lacrymarum guttulis,
Caſtum contaminare Tumulum,
Tantóq; pietatis volumini lituram inſpergere
Atratus præ dolore calamus.

E Utroſque

Utroſq; hos *Principes* vehementiori laborantes ca-
Ignea veluti evectos curuli (lenturâ
Famulantes Sanctorum chori acceperin-
Adeò ſiquidem peruſtæ. exſtiterunt medu
Ut dicas Empyræum in flamma prælibâſſe.
Hanc fœcundiorem *Heroinam*
Numeroſo virtutis fœtu gravidam,
Durâ nimis fatorum invidiâ
In marmoream obriguiſſe ſtatuam
Putes, ſaxeam *Niobes* ſororem.
In planctus ſolutæ *Heliconides*,
Ex oculis eliciant *Hippocrenem*,
Necdum tumorem ſiſtet ferale diluvium,
Donec elata bicipitis *Parnaſſi* culmina
Irriguo ſubſidant pulvere.
Quæ cavis montibus hoſpitatur Eccho,
Non monoſyllabico (quo ſolet) pulmone
Caducos verborum remittat terminos,
Verum *Ciceronianum* nacta, reverberet
Totos flebilis *Angliæ* gemitus.
Siſte, ſiſte, viator, quicunque obambulas,
Audaciori fide hoc calcas marmor,
Tam ampliſſimæ dignitatis velamen & operculum.
Lege, ac mirare ſtupore ſuffuſus
Omnium perfectionum pandectam.
Jacet hîc, tacétque laudis famæque Hyperbole,
Sequentis ſeculi archetypum,
Divinior *Elizabetha* metemψύχωſis.
Et quam nequit eloqui ætas infœcundior,
Stupeat ac veneretur poſteritas.

Turner, Coll. Joann.

Vix-dum

VIx-dum conſueti ſteterat ſecura doloris,
Et tremulis *Carolum* redeuntem exceperat ulnis
Anglia, nec ſubitæ poterat confidere ſorti.
Quum nova plorandi ſeries, & gaudia noſtra
Crebri intercurſant gemitus, in vultibus errant
Confuſi ſimul affectus, vicibúsque recurſat
Luctus, & alterno pietas accenditur æſtu.
Nuper *Granta* ſuas in gaudia fuderat undas,
Deſtituítque omnis faciundis pectora votis
Spiritus, inde audax, atque omine læta perenni,
Excluſit reliquas præſaga Oblivio curas.
Quòd ſi difficiles impar dolor arroget imbres
Da fontes, *Natura*, novos, nova damna propinat
Opprobrio fortuna tuo, numerúmque requirit:
Funeribus geminis non unus ſufficit humor.
Si licet ô ſuperi (ſalvo ſed numine veſtro)
Scire juvat tantas in nos quo fonte ruinas
Irrupiſſe datum eſt, ſævas unde explicet iras
Alma Parens (natale ſolum) quibus æquior olim
Aura miniſtravit tutos peregrina vapores.
Cerno dolos, fortuna, omnes, ſcenámque pererrat
Conjectura tuam; quippe imprægnatur eodem
Semine, quæ noſtras dudum bacchata per urbes
In ſua ſceptra leves populos armavit Erynnis.
Illéne jampridem quo libera colla Tyranno
Infandum petiere jugum malus aera Dæmon
Incubat, & miſeros vexat poſt fata *Britannos ?*
Anne vocat magnus genitor ſua pignora, cœlo
Proſpectans, terríſque timet committere noſtris?
Nóſque ipſi *Carolum* regnis, votíſque tenemus
Donatum, aſſiduóque erectum ad ſydera nixu
Noſtrarum ſiſtit rerum fatale neceſſe?

Quicquid erat neſcire datum eſt, quæſîſſe profanum.
Explicuit multo ſe palmite regia vitis
Nuper, & auguſtâ felix gaudebat in umbrâ
Anglia, quin vultu pax annuit alma ſereno
Invidiam factura polo; ſua defuit aris
Materies, niſi quas accepto principe grates
Solvat, & æternos poſcat fore gentis honores.
Quæ poterant divi miſeris majora paráſſe,
Si nunquam tollenda forent? alit ipſa dolorem
Nobilitas damni, Muſáſque impunè fatigat.
Liquerat Auriacam princeps ſecura coronam
Fraternum ſpectare diem, quum fata recentem
Eripuere oculis lucem, Phœbémque propinquum
Exhaurire jubar fœdâ mors obſtitit umbrâ.
Prodidit ingentes animos, dum fata paternæ
Incubuere domo magnos gaviſa recepto
Exule nobilitare ſinus, gentíſque Britannæ
Laſſatum caput hoc gremio quæſiſſe ſoporem.
Ergóne depoſiti grandis fidiſſima cuſtos
Aufugit, & noſtras placuit prævertere grates?
Hoccine fatales donantur fænore curæ?
Sic viſum eſt ſuperis geminæ facis addere lucem,
Carolidúmque aucto trinum jubar emicat aſtro.
Téque adeo juvenis (præcox conviva deorum)
Cui ſuper immanes pompas, conditáque blandè
Jurgia, nativos accenderat exul amores
Relligio, & teneris pietas maturior annis,
Febris iniqua rapit, nè ſic ſine numine divûm
Gaudeat emeritâ victrix conſtantia lauro.
Mittimus ergo leves urgere in fata querelas
Et jactare ipſi penitus convitia cœlo
(Cœlo, cui dabitur noſtris creviſſe ruinis).

Parcite

Parcite felices animæ, túque optime Princeps,
Vota tuli, & precibus faverunt numina juſtis.
Te fruſtrà aſſiduo venturum murmure manes,
Atque ducem placidis exoptent ſedibus umbræ.
Ad ſuperos quamvìs citiùs cupida aſtra vocabunt,
Et jam-nunc vacui ſtipent ſe margine cœli
Auguſtam factura viam: per ſecl'a manebit
Sceptri non temerandus honos, & proxima divis
Majeſtas patriis ſemper damnabitur oris.

Fran. Bridge, Trin. Coll. A. B.

VOs precor *Henrici* manes ignoſcite ſacri,
Si tua conſequitur funera ſerus honos.
Muſa nimis verè damni præſaga ſecundi,
Communi voluit jungere laude duos.
Ut quos mors eadem, morbus quos abſtulit idem,
Concelebret junctim ſic quoque carmen idem.

M. White, Coll. Regal. Soc.

ÆTernum ſævitis? adhuc, Superi, aſtra maligna
Sentit & infenſos Anglica terra Deos!
Tantos Heroum duces de morte triumphos?
Nunquam hanc invidiam, tetrica Parca, feres.
Hoc tu Nobilium par tollere es auſa? Deorum
Sec'lum ingens gremio condit uterque ſuo,
Dira quibus frontes incendit puſtula ſtellis?
Anglis infauſti ſyderis omen habent.
Quid fugis hinc, & in aſtra volans, Heroica virtus,
Expiras longùm jam moribunda vale?

Radit iter liquidum Charitum trias orbe relicto
  Reginam in cœlos ponè ſequuta ſuam.
Ipſáque Nobilitas ramo ſignata cupreſſi
  Plorabit mortem, diva beata, tuam.
Grantáque Regni oculus vult vero nomine dici,
  Funderet ut lacrymas in tua buſta ſuas.
Suſcipite, ô magni manes, libamina noſtra,
  Qui cineres ſacros ſpargimus imbre pio:
Et licèt heu longo lacrymas exhauſimus uſu, &
  Vix quas fundat, habet ſiccus ocellus aquas;
Nunc tamen ingenti dolor hic mihi pectus inundat
  Oceano, ſalſis obruiturus aquis.
Centum oculos Argo potuit dare muſa poetæ,
  O ſi tot poſſes tu mea muſa mihi:
Forſitan immenſi tum pars milleſima luctûs
  Per noſtras poterat prodere ſe lacrymas:
Interea ex oculis latices jugi agmine current,
  Et numerabo horas clepſydra facta meas;
In liquidas donec totum me ſolvero guttas,
  Atque oculos mortis clauſerit umbra meos.

Rob. Creyghton,

Art. Bac. Trin Coll.

M. *Principi Aurangiæ* S.

Viator, huc ades;
Nec male habeas ſi lacrymas expreſſero,
Quieſcenti plus quàm quieti debeo tuæ;
Si bonus es, neceſſe eſt ut lugeas,
  Aliter, tranſeas licet.

Cru-

Crudelis eſſe nollem,
Unicum ſufficiet vulnus,
Toto igitur recipias pectore:
Formæ pietatíſque exemplar
Aurangia vixit.

Vixit? ah infelicem
Quòd ſuperſtes dixerim,
Pudet, pudeat! modò æquè pii
Ac princeps, nec tu audiſſes nec ipſe
Vixiſſem, vixit dicere.

Cœlo debentur optima,
Fruſtrà remoramur volantes
Cognato nobiliore cœlo
Piorum animas: craſſiori luto
Lugere privilegium eſt.

Lugeamus ergo principem
Aurangiæ, illuſtriſſimam
Filiam, ſororem, matrem Chriſtianam;
In omni facilè genere optimam,
Quippe *Caroli* verè natam.

Poſt fratrem Deóſque reſtitutos,
Suſpectos enim fortunata dederant
Flagitia; cœlis dudum matura,
Nobis plurimùm immatura licèt
Ad ſuperos commigravit.

Abi viator, & pius eſto;
Non aliter citò moriturus,
Mariam non aliter viſurus
Pulcherrimam, pientiſſimam,
Virtutis formæque Ideam.

Arth. Fleetwood, C. Regin. C.

Fun-

2 6.7

FUndite *Pierides*, jam fundite flebile carmen,
  Et plectrum mœſtis aptet *Apollo* modis:
Agnoſcat patriæ communia damna *Thalia*,
  Ipſa fleat lacrymis immoritura ſuis.
Sæva *Palatinæ* rapuit ſors nobile ſtirpis
  Par, planctum geminet turba novena ſuum.
Tarpeia immiti proh! fulmine tangitur arbor,
  Laurum cupreſſus Cæſareámque premit.
Eheu, dira lues auſis quæ talia! tabem
  Communem Angligenis intulit iſte dolor.
Fallor? crediderim dira exanthemata, vultu
  An non ſydereo ſtellula crebra micat?
Scilicet exuti terreno pondere, fixum
  Sublimi effulget ſydus uterque polo.

R. Bowen, B. Art. Coll. Trin.

SIccine tam juſtos ſolvis mors ſæva triumphos?
  Et gaudes durâ ſceptra tenere manu?
Sic abit in triſtem laurus mutata cupreſſum,
  Dulcibus & dubiâ jungis acerba vice?
Neſtoreæ rediit quò fabula cana ſenectæ?
  Quídve juvat geminam jam numerâſſe manum?
Albas ſic poſtquam coxit ſol longus ariſtas,
  Maturâ cecidit falce reſecta *Ceres:*
Te juvenem ſubitæ rapit inclementia mortis,
  Injiciunt avidas dum tibi fata manus.
Niliacas jactant ſic æmula frigora meſſes,
  Educítque ſuas bruma gelata roſas.
Cæca quid infectas imples contagio venas?
  Heu majus diris enſibus auſa nefas!

Quem

Quem *Mars* externis ſervavit mitis ab armis,
Tu potes in patrio perdere ſæva ſolo?
Blandula mors patriam reddis, reddíſque ſepulcrum,
Docta nimis donis ſævior eſſe tuis.
Tota coronatis te ceperat *Anglia* portis,
Læta decus, magnum læta videre Ducem.
Excuſſêre ſuas redeunti gaudia guttas,
Nunc iterum lacrymas flebile funus habet.
Quid loquor? ingenti dum mens concuſſa dolore
Verba jacit ſurdis diripienda Notis?
Felix, immeriti longos poſt exulis annos
Qui poteras patriæ regna videre tuæ;
Velatum ſacrâ Regem vidiſſe tiarâ,
Sceptra ad fraternas & rediiſſe manus.
Aſtra vocant, te fata vocant, te ſidera clamant,
Sidereos poſſis lætus inire choros.
In terris poſſis qui Regem linquere Fratrem,
In cœlis Regem lætus habere Patrem.

In obitum illuſtriſsimæ Principis Aurangiæ.

ET *Pharius* monſtrant nutantia marmora clades,
Seráque *Neſtoreos* abſtulit hora dies:
Et ſua ſidereum poſuerunt fata Coloſſum,
Cæſareos rapuit mors inopina duces;
Te quoque mors rapuit, rerum pulcherrima, Princeps,
Invida nec totam fata dedere colum,
Te tantùm terris oſtendunt, nec bene viſam
In gelido tellus clauſit avara ſinu.
Mors fœdum pulchro miſit ſub corpore morbum,
Nè poſſit tetricas forma movere Deas:
In qua certabant, in qua mirâ arte latebant
Inter purpureas lilia mixta roſas.

Illa quidem facies coelo quæ proxima, qualis
   Inter certantes non fuit ulla Deas,
Lurida jam pallet, ſævæ jam mortis imago eſt,
   Mutáque marmoreus poſſidet ora rigor.
O fatum lugubre, & noſtræ crimina terræ,
   Regum tot triſtes quæ videt una rogos!
Vix Regem aſpexit, Regem viſura Parentem
   Exit, & eſt fratrem chara ſecuta ſoror.
Siſte, precor, rapidos tandem mors improba curſus,
   Contenta & gemino funere, ſiſte pedem,

P. Hume, Trin. Coll.

HEu! *Caroli* nondum ſatìs æquâ *Britannia* ſtirpi;
   Uſque adeò heſternùm quod bibit, illa ſapit.
Artem *Cromwello* didicere elementa magiſtro,
   Et Reges ſubitò noſtra vel aura necat:
Anglia nobilium ſola eſt devota ruinis,
   Non auſa eſt tantum *Belgica* terra nefas.
Dux fuit *Henricus*, præludebátque ſorori,
   Victima tam ſævæ nec ſatìs una gulæ.
Dum puer *Henricus* veluti novus alter *Iülus*
   Ænea tenerâ concutit arma manu.
Quando ego non finxi *Gallos* in corpus ituros?
   Nec tetigere tamen *Gallica* pila latus;
Extera pertimui, nocuere domeſtica tela,
   Hei mihi! nec poterat tutior eſſe domi.
Carole, non mirum eſt ſi pro te militet æther,
   Cùm micat *Henricus* ſtella benigna tuus.
Cúmque *Maria* ſoror ſplendet cum fratre *Quirino*,
   Zodiaci Geminos jure vocare licet.

Vitâ conjuncti, nec in ipſa morte remoti,
Proximitas illis nunc magis arcta datur.
Credo equidem externis quamvis vixiſtis in oris,
His ſolùm in terris vos potuiſſe mori.
Unica ſic Phoenix peregrinas advolat umbras,
Sæpiùs & *Phœbi* viſit utramque domum;
Sola at aromaticum ſuccendit patria nidum,
Sola illi cineres dat moritura ſuos.

Cu. Perſe, Coll. Regal.

In Obitum illuſtriſsimæ Principis Mariæ, *Principis* Auriacæ, *Comitiſſæ* Naſſoviæ, *&c.*

DUo, Duæque nuper & *Britanniam*,
Regémque Principes beatum fecerant.
Sed heu! repentè fata ſubtrahunt Ducem
Gloceſtriæ, charum caput. Nec id ſatis,
Maria fatis ceſſit, & mors de altero
Sexu triumphat imbecilli, ſæviens.
Britanniæque Belgiíque gloria
(Seu filiam, ſeu conjugem ſpectes) periit.
At nè perire eam puta, quæ maluit
Vitam, piè quod credimus, deponere.
Reliquerat Fratres duos, & unà eis
Cum Matre erat Soror ſuperſtes unica;
Queîs charior poſt coelites nemo fuit.
Nec hi tamen nec hæ ſatis jam virium
Habent, ut illam animam diutiùs queant
Tenere, coelum quæ diu ſperaverat;
Nam vinculo potentiore traxerant,
Patérque, Conjúxque, atque Frater mortui.

Moras nec illi ſacra naſcenti dabant
Chriſto diei proximi; ſed illicò
Videre de facie cupit, quem nos adhuc
Non cernimus niſi implicatum faſciis.
Verùm quòd illum mortua eſt juxta diem,
Quo Chriſtus olim coeperat vitam ſuam;
Ob iſtum unum, non minùs ſimiles erant,
Æternitati quippe natalis fuit.

Guil. Shelton, A. M. Coll. Jeſu Socius.

Votum pro Rege poſt mortem immaturam Fratris & Sororis.

DUm Tibi fortunas *Auguſti* turba precatur,
Peccat, & augurio eſt noxia facta bono.
Clade domûs propriæ nemo infelicior illo,
Túque in eâ ſimilis, *Carole*, parte nimis.
Oh utinam crudelis amor ſua vota retractet!
Debuit hic facilem non habuiſſe Deum.
Fias *Auguſto* tanto felicior oro,
Quanto *Trajano* Tu meliora facis.

T. Gearing, Coll. Regal. Soc.

HActenus obducto ſiluit cortina receſſu;
Totúſque *Pindi* ceſſit in fletus liquor.
Dúmque graves alii frangunt in carmine luctus,
Silentio ſe noſter agnoſcit dolor.
O utinam nobis ſemper tacuiſſe juvaret!
Sed noſter eheu fletibus creſcit metus!

Foecundo

Fœcundo ceu rore ſeges, cùm ſplendidus imber
  Gemmâ benignum veſtit altrici ſolum.
Nondum lethali *Henricus* requieverat urnâ,
  Adhuc calebat raptus ex buſto cinis,
Quin iterum ſurgunt luctus, habilíque veneno
  In nos cruenta mortis armatur manus.
Illa deûm ſoboles, noſtri germana tonantis,
  In ſe ruentis ultimum mundi decus,
Occidit & lentos turbavit morte triumphos,
  Intérque laurus miſcuit taxum novas.
Sic quondam *Latiis* cecidit vaga *Clœlia* campis,
  Seu quæ mariti contigit fato comes.
Sic quæ cunctantem traxit cervice *Cybellem*,
  Et quæ furentes caſta deluſit procos.
O ego ſi blandâ manes teſtudine vincam,
  Meóque ditem leniam cantu ferum;
Atria ſed nullis ſtant exoranda Camœnis,
  Pavidóſque torvus computat manes ſenex:
Attamen auguſto ſplendeſcit limen hiatu,
  Profunda quà ſe manibus pandit via;
Hac ego lætantem vidi cum fratre *Mariam*,
  Inter coruſcas aureis lauros comis;
Aut malè deceptus, ſaltem vidiſſe putavi,
  Paſſim vagantes elegantibus locis;
Illic æternò floreſcunt ſecula *Maio*,
  Calvos nec unquam *Januarius* ſenex
Deridet colles, ceſſant Euríque, Notíque,
  Et otioſis feriantur compitis.
Mille ibi formoſæ currunt per prata puellæ,
  Deíſque ſacrum cantibus mulcent nemus;
Illa inter medias fuſos temone jugales
  Scandit, rotarum ſemitæ flictu calent.

 Ingen-

Ingentémque ſibi nectens cum fratre coronam,
Auro micantes per plateas avolat.
Hæc ego dum gracili recino miracula verſu,
Compreſſit oculos lucis ignotæ nitor,
Fit fragor humano major totúmque remugit
Nemus, quod altis *Tænarus* ſilvis premit.
Cætera narranti ſubduxerat iſte tumultus,
Arcana noſtro non loquenda carmine.

V. C. G. C. C.

DUm repetit patriam princeps gratiſſima terram,
Terra parens totos porrigit alma ſinus;
Venit in amplexus matris pia filia; & hæſit,
Et caput occuluit ventre parentis ovans;
At nimia hæc fuerat pietatis teſſera, mater
Huic vitam dederat, reddidit illa animam.
Invideant *Anglis Batavi* nova funera, tanti
Corporis haud fuerat *Belgica* terra capax.

A. Pomeroy, Trin. Coll.

Piæ lacrymæ in Obitum Auguſtiſſimi Henrici *Gloceſtriæ Ducis, nec non Illuſtriſſimæ* Mariæ *Principis Arauſionenſis.*

FLetus *Britanni* jam parate debitos,
Perfuſa nimbis ora ſint frequentibus;
Dolete plurimùm; unicus nunc eſt modus
Servare nullum planctibus veſtris modum:
Avara ſiquidem, invida & fati manus
Hujúsce gentis obruit fauſta omina

Novis

Novis dolorum fluctibus, & lilia
Formoſa *Galliæ*, roſas & *Angliæ*
Coëgit in terras decus retrudere.
Apparuit nec non ſimul diſparuit
Felicitas genti; cedrúſque Regia
Nudata frondibus, ſuíſque brachiis
Nudat cupreſſum, ut illius ramuſculis
Feralibus noſtræ coronentur manus.
Hujuſmodi plures vetet ſed *Jupiter*
Bonus coronas: plectitur ſat *Anglia*,
Satíſque damni jam tulit noſtrum ſcelus:
Et in duorum morte regnorum trias
Elata nobis eſſe vel dici poteſt.
Diſerta ſuada nunc virum ploret; *Venus*
Et filiam; *Mars* bellicus ſuum ducem.
Plangant *Catonis* funus atrati Patres,
Plangántque *Pandoræ* Aulicæ mortem ſuæ.
Quartam ſororem lugeant jam *Gratiæ*,
Cunæque doctorum fleant collegia
Suum patronum: nobiles par nobile
Florum querantur, perditum fati gelu.
Sed cui dolori non adhuc patet via,
Hunc opprimat Regis dolor, nunc imperî
Sui vicarios, ſuíque nominis
Amota flentis plurimùm ſtatumina:
Votiſque cælites roget perennibus
In mente Regis tetricas ut diſſipent
Nubes, ruinas fulciant; nec ampliùs,
In nos cruentas mortis armantes manus,
Hærede digno Regis orbarent domum.

Rich. Boſſe, A. B. Tr. C.

Dum

DUm rapiat viduam *Lacheſis* cum fratre ſororem,
Ex geminis fulgent ſidera facta novis.
Parco tamen lacrymis; cauſa eſt, duo lumina deſunt,
Atque premit gemitus anxia cura meos.
Nil ad funereas confert nigra pagina tædas,
Nec juvat immemorem prodiga Muſa rogum.
Nam licèt a cœlo poſſit deducere ſtellam,
Ad cœlum ſtellas vix feret, *Urania.*
Quin moritur læto ſub fine *Maria* Decembris,
Hebdomadam cinerum quâ ratione facit.

Stubbs, Trin. Coll.

CUm raperent mala fata *ducem*, qui debuit annos
Patris inexpletos annumerâſſe ſuis;
Non potuit pia ferre *ſoror*; placuítque recurſans
Fabula, quâ *Caſtor* fratre redemptus erat:
Credula res amor eſt. Non vult ſupereſſe, *ſororis*
Reſtitui *fratrem* morte licere velit.
Cur ſuper impoſito cumulavit funere funus
Parca, catenatis ambitioſa malis?
Cur jungit, ſociátque, fretum quos findit, & unâ
Miſceri *Thameſin* clade *Moſámque* jubet?
Scilicet invidiâ populorum digna duorum eſt
Improba mors; lacrymis digna *Maria* duûm.
Suſtinuit cladem *Patris*, fatúmque *mariti*,
Naſſaviæ molem ſuſtinuítque domûs;
Fratre cadente cadit: *Pater* hoc date *vírque*, ſecuta eſt,
Poſſet ut in cœlis *Vos* reperire, *ducem.*
Ille brevi vixit multum, & maturior annis
Ceſſit ab humana vectus in aſtra viâ;

Jámq;

Jámque comas ſertis *vitæ* circumfluit *arbor*,
Spectandúſque atavis regibus hoſpes adeſt.
Nec ſpectâſſe ſemel ſatìs eſt, meritúmq; ſilentûm
Ambit in *Elyſia* valle corona caput:
Sed, gentilitio quod habet de munere, doctum
Eſſe ſuum *Genitor* vult, *Avus* eſſe ſuum.
Ipſe pater *Thameſinus* (amârunt *hunc* quoq; talem
Flumina) ut exequias audiit ire *Duci*,
Rorantes oculos, alienâ & morte natantes
Extulit, & duplici proluit imbre genas;
Cúmque dedit fari gemitus, (fluitabat in armos
Carbaſus, os texit muſcus, arundo caput)
Nos ergò, ut ſolitus, nunquam dignabere, nunquam
Rurſus ages liquido brachia grata ſinu;
Certus eram ſortem deponere, dignior ut Tu
Inter flumineos exciperere deos:
Hâc ſaltem æternus ſis; ſemper littora plangam,
Semper, (at hoc ſemper nec ſatìs) amne lavam.
At vos, ſævitiæ quibus hæc compendia, *Parcæ*,
Et lædi in *paucis* millia mille placet,
Ut minùs humano veſtra invidioſa poteſtas
Sit generi, in culpæ ſæviat ira reos:
Si quid delirent, *Rex* cur plectatur, *Achivi*:
Jam nimis ex vero nomine *Parca* venit:
Has viles animas opponimus; improba dextra
Sic minùs, ut plures ſuſtuleritis, erit.
Imperium, credo, jus injuſtúmque peribit,
Veſtra niſi indignè *Regia* regna ferat.
Nec lamentari, nec lamentabilis eſſe,
Nec quæ nos vulgus, debuit *Illa* pati;
Emeritámque malis, tot defunctámque querelis,
Jam tandem decuit præteriiſſe *Domum*.

G Omnia

Omnia nunc ſuſpecta, monet de *Fratre* vereri
Frater, de *Duce Dux*, déque *Sorore Soror*.
Sit ſatis, ô *Parcæ*, reliquorum evolvite fuſos,
Longáque inoffenſo ſtamine fila fluant;
Una *Duos* referat diuturna *Henretta-Maria*,
Relligione, refert *nomine* ut una *Duos*:
Atque ut poſſitis ſcelera excuſare priora,
Dicite, ab his veniant cætera læta malis.

T. Gale, A. B. T. C. S.

In luctuoſiſsima (ſed & lacrymis majora) Principis utriuſq; Funera, haud multò poſt lætiſsimam Sereniſsimi Regis Reſtaurationem.

Sen. *Extrema gaudii luctus occupat.*

QUàm ſubitò citharas ſuſpendit *Granta* canoras,
Ad ſalices *Cami*, lympháque mixta mero?
Nuper *Io Pæan* chorus ingeminaverat omnis,
Flebile nunc reſonat turba novena melos.
Sexus uterque cadit Libitinæ victima: *munus*,
Quærere quæ ſolita eſt, nunc dedit Aula, *duplex*.
Sic mortis flexu modò mas, modò fœmina *Princeps*:
Ipſa tamen neſcit mors variare genus.
Stellarum poſthac numerus mutetur, & ordo;
Mercurióque novo ſit nova juncta *Venus*.
Mauſolea ſtruet *Lyſippus*; marmora ponet
Praxiteles: *Phidias* nobile findet ebur:
Pectoris & noſtri, tumuli vice, ſaxa cavabunt
Deciduæ ex oculis, fluminis inſtar, aquæ.

Guil. Baldwin, A. M. Coll. Corp. Chr. Soc.

Heu!

HEu! quàm terribilis furvo velamine terras
Noſtras obduxit luctus? ſtat pulvere cœlum
Tartareo, rapiénsque diem nox omnia obumbrat.
Quî fieri hoc poſſit? mirari deſine: nempe,
Invida dum nobis communem lucis honorem
Præripiens gremio tellus ſecludit opaco;
Heu! gemina attonitis lux alma intercidit *Anglis*
(Haud ſecus inducta ac larvâ ſibi lumine terras
Cynthia deſtituit, ſuffundens ora tenebris,
Induit iratum quoties lux æmula vultum)
Quíque ſalutiferis radiis luſtrare catervas
Sueverat *Angliacas* in mutua bella ruentes,
Gaudentésque malis, *quorum nox conſcia ſola eſt*,
Cœlitus adveniens *Phœbus*, nunc mœſtus, & expers
Ipſe ſui decoris, poſito ſplendore coruſco,
Denegat *Albioni* officium, dum luget iniquis
Surreptum fatis fratrem, charámque ſororem;
Fletibus indulgens, quantùm tu *Cynthius* olim
Diceris iratus natum fleviſſe peremptum.
Hinc dolor oppreſſit rapiens ſub nube miſellos,
Nec bene tam longâ *contentos nocte Britannos.*
Hinc lugubre ſonat, formoſum ſquallida vultum
Anglia, ſollicitis carpens præcordia curis
Albion atrata, & mutato nomine plangit.
Tum *Thameſis* gravidus lacrymis ſibi Numina adempta
Conqueritur mœſtus, raucóque obmurmurat ore.
Deſine jam poſthac denſis immeiere nimbis
Juppiter antiquæ matulæ, & compeſce procellas:
Quippe tot *Anglorum* crebris rorantia guttis
Lumina, & effuſo ſpargentia flumine terras
Conſpicio, ut verear, redeant nè ſecula *Pyrrhæ.*
Annuit ecce Deus, terram ſícque increpat ultró,

Alma parens tellus, coeleſti ſemine creta,
Sydera nè cupias, nec laudes aſſere noſtras;
Haud impune feres dictis parere recuſans.
Dixerat, adque ſui celſi laquearia coeli
Tranſtulit *Angliacas*, radient ut in æthere, flammas.

Rich. Greſwold, A.B. T.C.

IMportunus adhuc urget dolor, improba fata
Lugendi nullos & voluere modos;
Addit funeribus ſævum nova funera fatum,
Foemineam accelerat barbara Parca necem.
Lumine qui pulchro toties latitaverat, orbes
Numine complêrat ſidereóſque ſuo.
Cur non è pharetra depromſit tela Cupido,
Arcuit & properam miſſa ſagitta necem?
Frange tuos arcus, pharetram depone, ſagittâ
Ecce tuâ mortis certior una ferit.
Ah! ubi erat thalami ſocius fortiſſimus, ipſam
Tutiùs amplexu foverat ille ſuo;
Prævidit fatum hoc, metuens averteret ille
Nè telum in caſſum, mors violenta, tuum;
Conjugem & ergò priùs fatum clàm ſuſtulit, atrâ
A morte ut poſſit tutiùs ipſa rapi.
Sed quid ego hæc refero? naturam perdere formæ
Archetypum credo non voluiſſe ſuæ;
Ni fatum dubitans illa accerſiverat ultrò,
Audacem & juſſu fecerat ipſa necem.
Fratre uno ſemper defuncto, luce Lacones
Alternâ placidè ſuſtinuere frui:
Defuncti hæc fratris comitari geſtiit umbram,
Vivendi alternas nec cupit ipſa vices.

Par Ledæorum mirari Græcia fratrum
  Deſine, jam majus fœmina quippe facit.

Joannes Horden, Tr. C.

SUrge age: ſis lætis licèt interdicta triumphis,
  Forſan erit lacrymis copia facta tuis.
Haud pridem tineæ aut ſcombro damnata fuiſſet,
  Utpote inurbani, fida *Thalia*, pedis.
Aſt, ubi *Mecœnas* rediit cum *Cæſare* Romam,
  Mitte, quid infenſo *Zoilus* ungue poteſt.
Annon mortis erat bilis ſatianda popello?
  Actum eſt, quando feret *Curtius* unus opem
Sic, ſcelerum fœdâ correpta *Britannia* peſte,
  Eſt tantis, veluti thure, pianda rogis.
Antiquos revocaſſe lupos nos advena dicat;
  Cùm mordent adeo baſia, & ulna necat.
Belgica, quæ pugnis ſatìs eſt experta *Britannos*,
  Cùm tuba ſerò ſuum parcite! rauca dedit;
Tandem contendit lacrymis; quas ſiſtere viſum eſt,
  Nè *Batavas* turgens obruat unda domos.

J. Robarts, A. M. C. C. C. Soc.

PEr medias *Breda* quæ diffluit unda plateas,
  Suſpicor in proprio nunc gravitare loco.
Non mare, non terræ, nimiùm nec inhoſpita Regna
  Gallorum, noſtros eripuere *Lares*;
Ipſa nec *Argilii* necuerunt *Scotica* pacta;
  Hoſtibus ereptos obruit ægra lues:

Cùm reditus tantùm nocuit (mihi parcite) nobis,
  Exilium Regno tutius eſſe reor.

Guil. Watkinſon, Coll. Regal.

VOce triumphali læti plauſere *Britanni*,
  Multa modò ob reduces vota ſoluta Duces.
Eheu! funeribus vertit Libitina triumphos,
  Sic triſti obducta eſt candida nube dies.
Qui modò deliciæ populi, plauſúſque *Britanni*,
  Spes, & amor patriæ, & pignora certa Deûm;
Eheu! fatales terris rapuere ſorores,
  (Ipſos en! videas poſſe perire Deos)
Quid cœlum nobis modò quæ donata negavit,
  Muneribus cur ſunt invida fata ſuis?
Ludit par impar proh! ſors non æqua, ferendo
  *P*ar non eſt damnum terra *Britanna* ſuum.

Audoenus Hughes, B.J.
Aul. Trin. Socius.

CArmina non pandunt alti myſteria cœli,
  Non inter Muſas ulla Sibylla meas;
Triſte tamen vereor nobis nè *Juppiter* omen,
  Iræ nè mittat fulmina dira ſuæ.
Proh dolor! in mortem feſtinat Regia proles,
  Interiêre ſimul frater amánſque ſoror.
O bone parce Deus, ſacra de ſtirpe ſat eſto
  In noſtram pœnam ſuccubuiſſe duos.
Hos Dea concepit peperítque *Minerva* gemellos,
  Semine divino natus uterque fuit.

Princeps

Princeps frater erat, nullus quo clarior unquam,
Hæredem credas eſſe utriuſque Deæ.
Æquabat virtute ſoror chariſſima fratrem,
Virtus fœmineo pectore tanta fuit.
Exequias celebrent Superi, porténtque feretrum,
Tali humero dignum dulce videtur onus.
Æthereas terrâ ſedes adiêre relictâ,
Talibus exultet vel polus hoſpitibus.

Io. Fletewood, Coll. Regal.

QUam neque fratris honos reducis, ſceptróque potiti,
Terreno poterant nec conciliare vehic'lo
Ars *Galene* tua, & denſiſſima vota precantûm;
Ad cœlum remeat cognatáque ſydera Princeps,
Henrici adſpectus cupiens, quem materiaï
Diſruptis vinc'lis Superis immiſcuit, ipſis
Et veneranda magis canis grandæváque virtus.
Felices animæ! quibus huc conſcendere fas eſt,
Et patrios manes & avitos viſere, mentes
Congeneres divis, quibus ipſe ſuperbit *Olympus*:
Carole ſola tuâ eſt hæc una auguſtior aulâ.

Sam. Jewell, A. M.
Coll. Ieſu Socius.

UNa manus fortis riſum tenet, altera luctum,
Et tonat ex illo quo micat ore Dea.
Lugemus, ſuadéntque cadentia ſydera luctus,
Muſáque præ gemitu vix trahit ægra pedes.

Caſtore

Caſtore ſublato felici ſidere nobis,
Penè inter fluctus *Anglia* merſa fuit:
Nunc *Helenâ* amiſſâ (quæ ſolis fauſta *Britannis*)
In mediis patimur naufragium lacrymis.

Horn jun. Coll Regal.

UTrumque heu Superi! rapuit mors invida terris,
Ars ferre auxilii nil tua (*Phœbe*) valet?
Proh! quantam vix tam crudelia fata merentis
Invidiam populi, Parca ſevera, cies!
Unum aufers, & deindè aliam Libitina; dederunt
Nobis Dii faciles quæ modò dōna, rapis.
Eheu! jam ſatìs eſt, unum nequit *Angla* dolorem
Gens tolerare, minùs perferat illa duos.

Fran. Hughes, M. A. A. T.

In Illuſtriſsimorum Principum Henrici *&* Mariæ *Apotheoſin.*

ANte obitum *Henrici*, & ſacræ nova fata *Mariæ*,
Crederet invidiam quis tetigiſſe Deos?
Juppiter has animas, regnant ubi numina, fixit;
Splendorem noſtræ non tulit aula *Iovis.*
Jam ſedet *Henricus* Rex, jam Regina *Maria*;
Lex obſtat ſceptris *Salica* nulla tuis.

J. *Cockſhutt, Coll. Gon. & Cai.*

Indue

INdue *Melpomene*, funeſtos indue vultus,
 Conveniens noſtris luctibus iſte dolor.
Quid fata *Henricum* rapuerunt invida terris ?
 An didicere igitur *Parcæ* & amare Ducem ?
Carole, tu frater, tu magnus denique Rex es,
 Ille tuâ ſpectat ſceptra movenda manu;
Viderat, & lætus jam ſe non ſuſtinet ultrà
 Mortalem, & Superis gaudia tanta refert :
Audiit interea raptum ſuper æthera fratrem
 Divali inſertum *Diva Maria* choro :
Protinùs ergò tibi valedixit, Maxime Princeps,
 Carole Rex gaude, *Carole* chare vale.
Nec mora, ſiſte (inquit) gemitus, Dea fio per altum,
 Et Patris, & Fratris, Conjugis atque memor.

Jon. Dryden.

A*Nglia* da lacrymas, tibi lacryma ſiqua ſuperſit,
 Funera *Glocestri* poſt celebrata Ducis :
Quâque priùs fratrem, triſti pietate ſororem
 Mœſta colas, oculos non minus urget opus.
Fallimur ignari, non æquo, mors, pede pulſas
 Regales turres, culmiferáſque domos:
Ecce tibi dibaphas Regali ſanguine fauces,
 Ecce cruentatas principe utraſque manus.
Scilicet his tanquam ſpoliis grandeſcis opimis,
 Digna Feretrali eſt hæc tua præda Jove.
Devaſtâſſe levem vix eſſet ovatio plebem;
 At tibi, devicto Rege, triumphus erit.
An nobis reducem ſic ſæva ulciſcere pacem ?
 Nempe rei redimis ſiccine damna tuæ ?

Dum nos urgerent civilia bella, ſolebat
Quottidiana tuam turba levare famem:
Tum tu, carnivorúmque, tuus conviva, ſepulcrum,
Millecuplâ ſolitæ, vos ſatiare dape:
Aſt, ea quæ noſtris ſolet addere fercula menſis,
Diminuit veſtrum pax rediviva cibum:
Nunc in dimenſum cedit vix unus & alter,
Quos tabes, aut dat tarda podagra neci.
Magnates igitur quæris tibi callida, quorum
Ingentis turbæ quilibet inſtar habet.

Heu! fuit *Henricus*, fuit atque auguſta *Maria*;
(Gratia Diis) es adhuc, *Carole*, ſísque diu;
Debita quæque horum remanebant ſtamina vitæ,
Agglomerent fuſo fata benigna tuo.
Sic redit hoc nobis cum fœnore funus, eâdem
Lege peroptarem me quoque poſſe mori.

Guil. Crouch, A. M. Coll. Joh. Soc.

DUm patriam proles *Carolina* requirit, & oras
Europæ varias pauper & exul adit;
Haud ullam in terris cernens ſine crimine, dixit,
Nulla niſi in cœlis patria, eóſque petit.

Guil. Johnſon, A. M. A. C. S.

IMmatura peris Princeps? nec pulchra juventa,
Nec potuit pietas obtinuiſſe moram?
Ah nimiùm Superis dilecta! (ignoſcite cœli)
Jacturam paſſis nè ſcelus eſto queri:

Eſſe

Eſſe pium crimen poſthac mortale putari
Poſſit, quod potuit *Sancta Maria* mori:
Haud coelo invideo, ſed certè ſiqua fuiſſet
Cauſa minor coelis, atheus eſſe velim.

Iohan. Dawes, Coll. Regal. Generoſus.

REgali *Anglorum* geminam de ſtemmate prolem,
Mens quibus, & virtus, formáque clara fuit,
Caſibus adverſis cùm ſors non æqua probaret,
In vitâ ſalvam præſtitit illa tamen.
Sed cùm rideret fortuna ſerenior, iras
Atque videretur depoſuiſſe ſuas,
Abripuit vitam. Sic ſunt mortalia: ſæpe
Res adverſa juvat, proſpera ſæpe nocet.

R. Scott, Trin. Coll. Soc.

SIc tandem *Nemeſis* refigit orbem
Phœbo; pòſt tragicâ penu malorum
Conſumptâ, ſobolem magìs benignus
Regalem genius beando reddit
Terris lumina; languidum remulcent
Quæ junctis radiis velut popellum:
Felix cum ſuperis habemus omne
Diviſum. *Danaes* ſuperſtes imber
Nobis ſecula recreavit auri.
Dum proſapia principes triumphant
Divorum reduces; ovant *Britanni.*
Surdos diſtrahimus Deos precando,
Serò luxuriam rogi ſubirent,

Longum nix capitis probaret ævum.
Vanam heu lætitiæ procamur umbram,
Incaſſum ſtabilem velimus auram,
Fortunæ nimiùm jocantis urna
Feſtos excipit, alma jubilæa
Perfundit mare mortuum. *Meduſæ*
Virus concipiat fluente tabe
Plorans *Anglia*; *Tantali* petroſam
Uſque progeniem exprimat, ſepulcrum
Quodvis Brutigenum cor extruator.

G. C. A. M. C. Pet.

Carolo *ſecundo in obitu fratris, ſororisq;* Glocestriæ *&* Aurantiæ *Principum, in orbitate & luctu* παραμύθιον.

Regia quercus erat totâ pulcherrima ſylvâ,
 Et nimis *Angligenas* illius umbra juvat.
Invidet auguſtam coelum inclementius umbram,
 Fata repentinò brachia corripiunt.
Heu penitùs toto diviſos orbe Britannos,
 Errones miſeros! *Anglus* ubique jacet.
Rectiùs Abſyrtum non exoranda ſecundum,
 Quàm *Carolum* poſthac, te tua fata vocent.
Occidit *Henricus*, ſequitur ſoror indè *Maria*,
 Dextra, ſiniſtra, perit; *Carole*, ſceptra geris?
Poenituiſſe Deos poſt fata noviſſima conſtat,
 Æthere vel toto fletibus irriguis.
Fige tuis lacrymis, Regum Celſiſſime, nè plus;
 Carolus eluxit, cætera flete Dei.
Ecce novum ſummo fulget par nobile coelo,
 (Crederet Aſtrologus?) ſunt gemini Gemini.
Et ſoror & frater *Carolinus*, dia propago,
 (Quis negat?) in titulo ſunt propiore Dei.

Redde

Redde Deo, quæcunque Dei; lex juſtior ulla eſt?
Quæ ſua ſunt Numen, quæ ſua *Cæſar*, habet.

Sic luxit & eluxit

Gulielmus Nailour, C. Caio-Gonvil. Soc.

SIc Fatis placitum! miſcuit infima
Summis hora brevis: lætitiæ dolor
Infeſtiſſimus hæres,
Nox ut certa premit diem.
Naturæ Dominus ſic *niveis nigra*,
Lætis occuluit triſtia; non diù
Felix *Anglia*, portu
Ipſo naufragium facit.
Quæ nuper gemitus exilio dedit
Adventu *Caroli*, nunc revocat tamen;
Nugæ gaudia: Flentem
Verum dicere quid vetat?
Par unà eripuit nobile Principum,
Haud æquo feriens mors pede regias
Turres, ante diem, nec
Sexûs, nec generis memor.
Hinc planctus adeò flebilibus modis
Aptant Pierides: lacryma lacrymam
Urget; quin dolor ingens
(Quod mirum) didicit loqui.
Sic natura negat ſole ſub aureo
Effulſiſſe diù, queîs facies minor,
Stellas: Cæſaris ortu
Vaneſcunt Gemini ſimul.

Ingrati *Britones* diſcite *Perſicum*
Morem, thure pium poſcite *Carolum*;
Nè veſtrum quoque Solem
Iratus rapiat Deus.

Joh. Standiſh, C. S. P. Soc.

In obitum Illuſtriſsimi Principis Henrici *Ducis Gloceſtriæ.*

SUrgens *Iüle*, patriæ ſpes altera,
Genuina proles utriuſque *Palladis*,
Calamum gladio, ſagúmque componens togâ;
Cujus coronam vertici, pridem duæ
Caſtríque hederæ ſcholæque certatim ferunt;
Ab utrâque *Cæſar*, & *Britannus Julius*
Nondum tamen ſemi-ſeptuagenarius;
Quem cùm videret ille Muſarum pater
Nec eruditum ipſo nec imberbem minùs;
Amphitryonis credidit *Soſiam* dari.
Sed proh dolor! quem nos juvenem putavimus,
Mors ipſa quamvis cœca cognovit ſenem;
Quis non furore percitus juſto, tuam
Sortem, ſuámque ploret inclementiam,
Illuſtris animæ? cui noverca patria
Nihil (ſepulchrum præter & exilium) dedit.

In Illuſtriſsimam Principem Mariam.

ATrox, cruenta, perfida, illætabilis,
Et, ſi quod ulterius malum eſt,
Ingrata patria! ſiccine hoſpitio ſoles
Excipere amicas Principes?

Hic

Hic mos *Britannis* advenæ nullam diem
(Noctémve niſi extremam) dare?
Hæc illa nuper pompa gratulantium?
Natalis hæc ſoli fides?
Morbo ſalutem tam citò, feretro torum, &
Menſam ſepulchro claudere?
Vice hàc rependis mentis officium piæ, &
Gratam ſororis indolem?
Tunc illi ocellos invidâ claudens manu,
Quùm te ut videret venerit?
O clima mundi noxium! in cujus ſolo
Rarò ſeneſcunt optimi.
O quàm malè olim temperies tua audiet!
Ubi ſera poſteritas leget,
Quantò *Mariæ* mitius *Britanniâ*
Paluſtre *Belgium* fuit;
Probrum, cui eluendo, inſula ſis licèt,
Vix ſufficeres in lacrymas.
Ni luctuoſæ veritas Tragœdiæ
Id inſuper mundo probet;
Nos talem hodiè dediſſe cœlo fœminam,
Qualem nec ulla gens adhuc terris dedit.

At ô cruenta Parca regum ſanguine
Nunquámne te expleri ſines? quin poſt caput
Scelere revulſum, germen occiduum trahis?
Quid in Palatia ſordidam immittis luem,
Solúmque nuper Principum limen teris,
Miſſis tabernis pauperum? exiguæ tibi
Clades videmur? an ſemel hauſtus rictibus
Jam ſordet omnis præter auguſtum, cruor?
An! invidendâ planè fatorum vice
Delicta populi Principes luent ſui?

Quo-

Quocunque demùm Parca conſilio abſtulit,
Tu macte, Princeps, cujus in innocentiam
Malè collocatas perdit inſidias furor;
Mutátque tantùm, vota non aufert tua.
Nam te, Secundum dum reviſis *Carolum*,
Errore triſti morbus ad Primum tulit,
Fratrémque dum amittis Soror, Patrem invenis.

In eandem.

Quis dabit in luctum vires? quis carmine juſto
Præſtabit tanti funeris exequias?
Quis dolor huic tumulo par eſt, ubi filia dormit,
Et Soror, & Mater Principis, & Vidua?

S. Smythes, A. M. Tr. Coll. Socius.

MIramini? ſic rebus humanis agi
Aſſolet; amant jungere triumphis funera
Fata: & vices orbe ſinuoſo volvere
Boni malíque: quas vides placidas aquas
Undâ renidenti fluentes, mox rudis
Venti aſperat flatus, & in iratos movet
Vultus; gravi reprimitur indulgentior
Fortuna ſic ſemper malo; luſáque nimis
Gaudia aliquis compeſcit appenſus dolor.
Eſto quidem; hinc tamen petendus ſolùm erat?
Poenarum habet ſatis, ſatis (fateri enim
Non nos piget, peccâſſe quos pudet) & ultrà
Innocua gens (nos ſumus enim malè meriti)
Arduáque virtus tot novis exercita
Laboribus, caſus tot experta varios.
Senos bis annos egit error avius
Regnis paternis impiâ pulſam manu.

Nihil

Nihil intereſt graviora dicere ſingula,
Quæ carmine olim ancilla lucubrans canet,
Nocturna ſolans voce lampadis opera.
Siccine igitur veteres, *Britannia*, excipis
Dominos? ut aurâ letiferâ pereant tuâ.
Quos certè oportuit ſinus benignior
Foviſſe: fortè tamen malis prudentior
Facta alma mater, properè in ipſa viſcera
Retrahit, nè iniquæ ſortis auferat iterum
Caſus. Damus, ſed longiorem voluimus
Moram: nimìs durum arborem ferrum pati
Pendente fructu, ipſóque flore carpere:
Sed ſiſte; ſic placet, & quidem concedimus,
Supreme rector, nec coacti tibi tua
Jura, uti decet: ſed oh! minacem cohibeas
Dextram: trahâſque (precamur) ultrices manus
Retró. St! timemus; nè ferias, nè (quæſumus)
Vice tertiâ ferias ibi: ſi ſunt ſuper
Luenda adhuc crimina, tuum flecte gladium:
Alióque vulnus dirige: in nos vertite
Ferra potiùs, quáſque meriti pœnas ſumus,
Oh Superi! in humeros ſæviatur verbere
Noſtros, modò illud ſit procul periculo
Illuſtre, carúmque caput: ille celſior
Sedeat diu patrio in throno, & potens ſuâ
Dominetur aulâ par patri, at felicior.
Sic noſtra nos (divina ſtirps) arma dedimus,
Dabimúſque vobis: tibi quidem, *Henrice*, lacrymas;
Tibíque, *Maria*; ſed tibi, *Carole*, preces.

G. Bright, Art. Mag.
Coll. Emman. Socius.

Quocunque demùm Parca conſilio abſtulit,
Tu macte, Princeps, cujus in innocentiam
Malè collocatas perdit inſidias furor;
Mutátque tantùm, vota non aufert tua.
Nam te, Secundum dum reviſis *Carolum*,
Errore triſti morbus ad Primum tulit,
Fratrémque dum amittis Soror, Patrem invenis.

In eandem.

Quis dabit in luctum vires? quis carmine juſto
Præſtabit tanti funeris exequias?
Quis dolor huic tumulo par eſt, ubi filia dormit,
Et Soror, & Mater Principis, & Vidua?

S. Smythes, A. M. Tr. Coll. Socius.

Miramini? ſic rebus humanis agi
Aſſolet; amant jungere triumphis funera
Fata: & vices orbe ſinuoſo volvere
Boni malíque: quas vides placidas aquas
Undâ renidenti fluentes, mox rudis
Venti aſperat flatus, & in iratos movet
Vultus; gravi reprimitur indulgentior
Fortuna ſic ſemper malo; fuſáque nimis
Gaudia aliquis compeſcit appenſus dolor.
Eſto quidem; hinc tamen petendus ſolùm erat?
Poenarum habet ſatis, ſatis (fateri enim
Non nos piget, peccâſſe quos pudet) & ultrà
Innocua gens (nos ſumus enim malè meriti)
Arduáque virtus tot novis exercita
Laboribus, caſus tot experta varios.
Senos bis annos egit error avius
Regnis paternis impiâ pulſam manu.

Nihil

Nihil intereſt graviora dicere ſingula,
Quæ carmine olim ancilla lucubrans canet,
Nocturna ſolans voce lampadis opera.
Siccine igitur veteres, *Britannia*, excipis
Dominos? ut aurâ letiferâ pereant tuâ.
Quos certè oportuit ſinus benignior
Foviſſe: fortè tamen malis prudentior
Facta alma mater, properè in ipſa viſcera
Retrahit, nè iniquæ ſortis auferat iterum
Caſus. Damus, ſed longiorem voluimus
Moram: nimìs durum arborem ferrum pati
Pendente fructu, ipſóque flore carpere:
Sed ſiſte; ſic placet, & quidem concedimus,
Supreme rector, nec coacti tibi tua
Jura, uti decet: ſed oh! minacem cohibeas
Dextram: trahâsque (precamur) ultrices manus
Retró. St! timemus; nè ferias, nè (quæ ſumus)
Vice tertiâ ferias ibi: ſi ſunt ſuper
Luenda adhuc crimina, tuum flecte gladium:
Alióque vulnus dirige: in nos vertite
Ferra potiùs, quáſque meriti pœnas ſumus,
Oh Superi! in humeros ſæviatur verbere
Noſtros, modò illud ſit procul periculo
Illuſtre, carúmque caput: ille celſior
Sedeat diu patrio in throno, & potens ſuâ
Dominetur aulâ par patri, at felicior.
Sic noſtra nos (divina ſtirps) arma dedimus,
Dabimúsque vobis: tibi quidem, *Henrice*, lacrymas;
Tibíque, *Maria*; ſed tibi, *Carole*, preces.

G. Bright, Art. Mag.
Coll. Emman. Socius.

DUm ſatura eſt claro rediviva *Britannia* plauſu,
Et triplicem oſtendit cingentem tempora laurum,
Tam tenui filo ſuſpenſos fata triumphos
Abſcindunt, tumido miſcentia gaudia luctu?
Parcarum proh dura Trias! quo felle tumeſcunt
Pectora veſtra novis gratiſque inviſa choreis?
Nil patriæ curæ, gemitus, Ducis inclyta virtus,
Majeſtas, juvenile decus, *Lernæa* retardant
Infortunatam vibrantem ſpicula dextram?
Ah! quàm demiſſo ſequitur veſtigia naſo
Venatrix fortuna tua, Illuſtriſſime Princeps!
Prima implacatum ſenſêre crepundia *Martem*,
Exilium, ſævóſque hoſtes provectior ætas:
Sed virtus oppreſſa viget, dum blandior aura
Pellexit reditum, patriiſque locavit in oris.
Vix modò ſedatis placidum caput extulit undis,
Sidereáſque comas mirata eſt *Anglia* felix,
Quin maculis obducta, latet condítque ſerenum
Stella caput, miſeráque obſeſſa *Britannia* nocte eſt.
Sic ſolet inſueto ſpectari lumine clarum,
Quod modò delituit ſub opaco cortice, ſidus,
Dum nova colluvies genuinum ſupprimit ignem.

Guil. Sherlock, Coll. Pet.

A*Lbion* inconcuſſâ fuit ſex fulta columnis,
Et pedibus ſenis terra *Britanna* ſtetit.
Rex gentis columen, Dux primus militis *Atlas*,
Atque alter noſtræ ſpéſque decúſque togæ.
Vidimus & triadem fratrum, triadémque ſororum,
Qualis quæ *Samio* tam celebrata ſeni.

Eliza-

Elizabetham memorem, memorémve *Mariam*,
Dignas cœlo ambas Zodiaco Geminas?
Henrettam referámne? urbi ſit ab hoſte timendum,
Dum caſtam hanc *Venerem* ſemideámque tenet.
Nam ſi *Helenâ* incluſâ non poſſent *Pergama* ſtare,
Noſtrâ hâc *Troia* poteſt tuta manere nova?
Jam metuo nè moles terræ operoſa laboret,
Illam deſtituunt, deficiúntque pedes.
Anglia nunc trepidans (obeunt tres, trésque ſuperſunt,)
Claudicat, & facta eſt inſula noſtra Tripos.
Atqui olim Tripodes ſacri, tuteláque divûm;
O faveas Tripodi *Phœbe* Triune tuo:
Tu generis miſereſce tui, cœleſtis *Apollo*,
Rex noſter *Medicûm* ſtirpe creatus erat.

Johann. Warly, Aul. Clar.

TU ſorte, mundi Tertius arbiter,
Tu de nefaſtis prima ſororibus,
Quid Principem *Henricum* & *Mariam*
Imperio gelido coerces?
Lugere conſtat: cætera ut omnia,
Tantùm dolendi non redeunt vices;
Mors morti amica hæret, novíſque
Funera funeribus premuntur.
Ann' *Oliverus* rurſus ab inferis
Terras reviſit murmure ſtridulo,
Et culeos ponens & angues
Sulphureâ face vexat orbem?
Natum ruentem (plùs ſatìs) in Patrem,
Et tincta vidi ſanguine mœnia
Æquata terris, nec ſceleſtam
Sic poterant ſepelire cædem.

Quid Templa dicam? jam veniam ſuæ
Culpæ meretur, ſub ſpecie *Iovem*
Qui tempſit humanâ latentem
Simplice barbarie *Lycaon*.
Non Entheorum relligio ſacris
Aris pepercit: mentio quid ſubit
Facti nefandi! verùm adacta eſt
Cæſareo jugulo ſecuris.
Sic bos ad aras, ſic *Priamus*, ſuo
Quas expiavit ſanguine, concidit:
Vertiſtis in Quercùm ſacratam
Dii faciles *Carolum* ſecundum.
Quò (Fata!) dextræ? parcite, regius
Eſt ille ſanguis; gens *Britonum* fera
Hanc ſcilicet crudelitatem
(Credo equidem) docuere Parcas.
Te ſæpe viſo triſte periculum
Retrò trementem ſæpe tulit pedem;
Ars denuò *Henrici* nocere
Per latus, & *Mariæ* ſororis.
Jam flere, non eſt dicere nænias
Sub nocte ſummâ funeribus ſuis,
Haud luctui, ut quondam, tyrannus
Conſtituit pretium modúmque.
Gens ergò, buſto ſic propior ſuo,
Enuntiato funere principum
Elanguit, placátque Manes
Cæſareos properante rivo.
Tot anteactis qui ſuperest malis,
Senſus, ſtupeſcit, nec ſupereſt malis
Tantis, tuæ donec ſalutis
(*Carole* magne) memor revixit.

Quic-

Quicquid ſeverum luſerit improba
Sors, mente (*Cæſar*) ferre memor tuâ,
Converte vultus huc ſerenos,
Fulmineos vereatur hoſtis.
Paſsim popellus compita per vaga
Hoc fuſus orat vel genibus tuis:
Hoc fratris *Henrici* videntur
Exanimes rogitare manes.
Dux ille magno Concilio potens,
Admiſſus, ecce! in Concilium *Jovis*;
Et *Carolo* magno Parenti,
Sceptra, tuum ſoliúmque laudat.
Lætum ac ovantem Te propè vidimus
Uno minorem vel *Jove* vel Patre;
Maria Princeps gratulatur,
Carpit & *Elyſiam* quietem.
Sic velle & ipſam credibile eſt mori;
Optavit hæc, hæc viſere tempora;
Dein grande per cœli cacumen,
Congeneres repetit potentes.
Solare mentem conſiliis piam,
Solare gentem Tu ſobole novâ
(Cæſar) *Britannam*; major omni
Invidiâ, ſupereſto Fatis.

Tho. Cremer, T.C.S.

NE mihi *Caſtaliis* rorantia pocula lymphis,
Bellerophontæi miſceat ungula equi:
Quin rubrum *Erythræas* potiùs mare porrigat undas;
Sanguis ut ex oculo ſufficiente cadat.

Aut totos volvat mihi *Triton* æquoris hauſtus;
  Ut ſuperet morbi lacryma multa notas.
Fruſtra *Phœbæos* dictas *Polyhymnia* verſus:
  Non facit ad luctus nænia docta pios.
Huc lacrymæ, huc denſi properate ſine ordine planctus:
  Ad numerum tantus reſpuit ire dolor.
Heu! qualis pietas! heu! quàm brevis occidit ætas!
  Non tulit hoc unquam caſtius Aula caput.
De denâ pauci deerant trieteride menſes:
  Ut virtus, ſic & mors properata venit.
Lugeret nam fata ſui cùm nupera fratris,
  Cor citò compatiens morbus aduſſit idem.
Fraudatus charâ, prior occidit ille, ſorore;
  Illa cupit fratrem, vel moriendo, ſequi.
At quid tanta furit torvæ inclementia trigæ,
  Ut nive candidius puſtula corpus edat?
Puſtula peſtiferâ *Pandoræ* pyxide digna:
  Puſtula *Lernæo* crebriùs angue micans.
Non potuit morbus placuiſſe ſororibus alter?
  Aptior è populo nec fuit ulla cutis?
Non opus eſt roſeo hoc naſci exanthemata vultu:
  Non caruit nævis talibus illa *Venus*.
Non opus eſt, geſtet tot rubras corpore gemmas,
  Cujus mens gemmis pluribus una valet.
Aſt illi meritò regnum cœleſte vovemus;
  In terris cujus ſidera corpus habet.
O terræ communis amor luctûſque *Britannæ*,
  Quam viduam duplici nomine mœror agit;
I, fuge: nec nobis viduata vocaberis ultrà:
  Nam fies *Chriſti* ſponſa beata tui.

Hen. Dove, Tr. C.

Ergóne

ERgóne noſtro lumine vertices
Stellæ comantes cingere geſtiunt?
Nunquámne (proh divos!) avarus
Ex proprio rutilabit æther?
Spiſſi ſed imbres luminis aureos
Jam fœneratò *Jupiter* infimam
Terram repoſcit, quos *Britanno*
Non avidus dedit antè mundo,
Noſtrúmque craſſo ſerpere nubilo
Non cernit orbem, dum ſuperûm choris
Immixta jam fecit *Maria*
Suppoſitum radiare cœlum?
Maria vultu pandit originem
Confeſſa cœlum: donáque cùm Dei
Digna elaborarent *Britannis*,
Auriacam peperêre feſſo
Solamen orbi: tunc nova ſecula,
Cœlúmque terris vidimus inſitum,
Tempúsque tunc primùm renaſcens
Irriguo fluitabat auro.
Hæc purpuratis frontis honoribus
Præluſit aſtris, quæ ſibi debitum
Jam cuncta depoſcunt *Mariæ*
Ingenuum decorare vultum.
Jam per coruſcas ſideribus domos
Signat triumphis undique tramitem:
Plauſtri renidens *Carolini*,
Et placidum per inane cœli
Currûs paterni remigio volans,
Albis ovantem quum ſibi gloriam
Junxit quadrigis, ecce, totum.
Plena Deo rapit illa cœlum.

Hoc

Hoc quicquid orbis ſit nihilum videt,
Terræque punctum, vix quoque maximum
Spectare vel fratrem valebit,
Quo melius potuere divi,
Majúſve noſtris nil precibus dare:
Quem ſumma coeli limina prævidet
Manſura ſerò, quum nepotum
Innumerâ reparârit orbem
Pronum ruinæ gente *Britannicum*:
Hæc læta vultus promit amabiles
Maria cernens, inde viſu
Parte aliâ *cupido* pererrat
Orangianæ clara propaginis
Inſcripta cœlo nomina, queis Deus
Natos honeſtabit *Mariæ*,
Cùm Comites dare perget *Haga*.
Cuncta hæc *Mariæ* per Stygios Dei
Sanxere fluctus, ipſáque cum Deis
Sic fata juraviſſe nobis
Non dubiæ cecinere Muſæ,

Johannes Peck, Art. Bac.
Coll. Div. Jo. Soc.

Ad Sereniſsimam Regis Majeſtatem, Academiæ apologia, quòd deſideratiſsimi Principis Henrici *Ducis Gloceſtriæ mortem funebribus leſsis non celebrâſſet.*

AD Ducis occaſum lacrymarum flumina noſtris
Queſtibus ingratas oppoſuere moras;
Singultus fecere viam, moriente *Mariâ*:
Pérque genas lacrymæ flebile murmur agunt:

In numeros fluere ipſe dolor jam ſponte videtur,
  Veráque fit noſtris nunc Elegeia malis.
Scilicet *Henricum* Muſæ ſperare procaces
  Audent, (namque potes, Rex dare, magne) novum.
Auriacam veſtri poterunt genuiſſe Nepotes,
  Hoc tibi duntaxat non licuiſſe gemo:
Cùm dederis *Carolos*, exoptatóſque *Iacobos*,
  Dulcia *Marias* nomina redde, precor.

Idem.

Regales animas, & ſacro lumine vultus
Fulgentes, properæ oppreſſos caligine noctis
Defleo, defunctis tenui cum carmine juſta
Pro modulo perſolvo meo; mihi triſtior atram
Inſpires Libitina chelyn, geminóque dolore
Ad leſſus properes, lacrymíſque illabere noſtris.
At pudet immodicos anguſto pectore luctus
Præſcriptis cohibere modis, numeríſque ligare
Innumeros gemitus; metris & lege ſolutæ,
Et laxæ potiùs juvat indulgere querelæ.
Linquamus faciles elegos, veterúmque ſororum
Laſcivas Veneres,& mollia carmina, planctus
Imbelles: nobis ruat in ſuſpiria duplex
Melpomene,tragicíſque aptantes verba cothurnis
Solvamus luctus & rege & principe dignos.
Spargite fœdatos nimio cum funere crines
Atratæ matres, dimiſſo libera nodo
Cæſaries fluat, & facies inſpergite totas
Pulvere funereo, lacrymarum defluus imber
Expiet ignotum facinus, fatíque ſagittas

K San-

Sanguine regali ſaturas ignobile vulgus
Excipiant, genti defuſæ ad funera toti
Naufragium minitantur aquæ, jam quolibet *Angli*
Jacturam facimus menſe, & ſpolia aurea Parca
Arripit, ac vixdum miſeri, quos perdimus, *Angli.*
Novimus; at faciles nimiùm ſeponite luctus,
Gloſtrenſem flemus, nobis ad nomina tanta
Non licet exiguas buſto miſcere querelas.
Ille mihi lugendus erit, modò carmina dicam
Principe digna viro, certè eſt hic carmine dignus.
Occubuit Sanctum caput, & ſine nomine nomen,
Ac mundi pars prima jacet, mors ipſa triumphum
Viſa agere, & tanto gaviſa eſt hoſpite tellus.
Ceu procera abies rigidâ ſucciſa bipenni,
Vel diſtorta agris *Boreali* flamine laurus,
Ardua frondentis deponit culmina molis,
Deperit inſignis ramorum gloria, campo
Areſcit plenus ſuccóque & ſanguine truncus:
Incubat & teneris foliis ac frondibus horror.
Sic perdit vitalem auram, ſic brachia ponit
Regia, præproperâ confoſſus arundine lethi
Heros, divini cui claræ tota per ora
Ingenii micuere faces, animaverat ortus
Prima ætas, & cruda *Deo* viridíſque juventus,
Aſpice ut incertâ contorquent dira ſagittas
Fata manu, ut triplici eludit conamine princeps
Inſtantes Parcas, neſcítque occumbere morbo
Percuſſus facili, ſed vivum lenta laceſſit
Atropos, & vita à membris invita recedit,
Ac tardo fruitur letho; tam nobile pectus
Credibile eſt non poſſe mori, niſi fortior arcum
Intendens *Lacheſis* ſpretos *variaverit* ictus:

Tanta

Tantæ molis erat redivivam perdere gentem.
Linquamus *Batavi* vario diſcrimine belli
Emeritas, laceráſque rates, dubióque triumpho
Pugnantes acies, deferveat æquoris ingens
Motus,& ambiguâ gaudentia prælia lauro
Æternùm ceſſent, luctus lacrymæque coævæ
Conjungant ſenibus juvenes, *Belgíſque Britannos*,
Et mœſtos patribus natos, Regnóſque Sicambris;
Devolvat *Thameſis* triſtes ad littora fluctus
Lugubri pompâ, feſtinans gurgite *Rhenus*
Et *Vahalis* ripas undoſo flumine rumpens
Nos ſolos plorare vetent, ſed luctibus aucti
Noſtra hæc ignotis referant ſuſpiria terris.
Æquore disjunctas vocat ad connubia gentes
Communis ſociúſque dolor,victricibus armis
Lætantes populos ſancto ſub fœdere jungat
Principis in manes pietas: Pars fœderis hæc ſit,
Irrorare ſacras lacrymis communibus urnas.

Ibimus inferias lacero cum carmine,Muſæ
Funereæ, & miſeri querulos ponemus Iambos.
Quæ parca vel quis ſævior nobis Deus
Nuper renatum miſcuit tenebris diem,
Britonúmque nigris inficit laurum cedris?
Aut quæ triumphos polluit mœſtâ vice
Nondum peractos dira ſors, dubiâ manu
Adverſa lætis, læta confundens malis:
Fatalis hora regias quatit trabes,
Ædéſque triſtes menſtrua repetit lues;
Nondum prioris ſortis expletur labor,
Cùm creſcat aliquod majus è malo malum,
Finíſque cladis fiat alterius gradus,

Tædáſque tradat funeri funus prius
Adhuc recentes, Parca nec patitur moras.
Tremiſcit animus fata quò ruant timens,
Geminâque trepida mens inhorreſcit nece;
Cùm dira gratis miſta in ambiguo latent,
Incerta, ſcire pectus, quæ cupit, timet.
Arcana terrent fata, funebris meos
Perſtringit oculos flamma feralis rogi,
Duplicíque mœror auctus increvit malo,
Et binus anxias dividit fibras dolor.
Exercitatas præficas clades cupit
Et flere doctas, neſcit hoc funus levis
Artes doloris, neſcit hic luctus modos
Leſſúſve fictos, noſtra calamitas petit
Animos capaces, non poteſt brevibus capi
Triſtitia duplex ſimplicis pompæ dolis.
Immenſus urget planctus, & nimiùm graves
Dei ſagittæ; vix dedit pio ſatis
Libitina veniam luctui, quin Dea truces
Ingeminet ictus & novos cumulet rogos.
En tacita noſtri ſtupuit exitii modum
Pullata mulier, neſcit infandis dare
Rebus querelas, quas jubet pietas, premit
Lacrymas eaſdem vaſtus atque ingens dolor.
Inanis abſit pompa, funerei rudes
Planctus theatri nullus exprimeret color,
Juſtos dolores nullus exprimeret chorus.

Joann. Budgen, A.M.

Coll. Trin. Socius.

Anagramma.

Maria Princeps Aurengiæ.
In regna Empyrea capiaris.

ASpirat ſic flamma levis, dum fomite caſſa
Æthera directâ cuſpide ſumma petit.
Haud aliter ſolio minimè contenta *Maria*
Terreſtri, Empyrios ſcandit aduſque thronos.
Regum ubi pro trabeis veſtit lux ipſa: coronam
Non aurum, lapis, aut gemma, ſed aſtra dabunt.
Pro ſceptro ætheream tenet illic dextera palmam;
Néve manu prenſat, calcat illa globum.
Præclara ambitio, & celſâ tam Principe digna!
Novimus, haud alio nomine poſſe mori.

De tempore ejus mortis, viz. *ad Feſtum Nativitatis*.

UT veteres venere Magi, ad Natalia Chriſti
Num linquens *Batavos* ex Oriente venis?
Credimus: en! duplici vulgaris fama locuta eſt
Senſu; dum, Regem viſere venit, ait.
Voto igitur frueris: Chriſtum tibi cura videndi;
Et *Nunc dimittis* jam *Simeonis* habes.
Quin meritò ſuperas citiùs contendis ad oras,
Cùm vixdum feſtus cœperat eſſe dies:
Nos epulas nempe inſtruimus, menſáſque paramus,
Cum Domino potiùs te juvat eſſe tuo.
En *potior* tibi *pars*! alii convivia curant;
Tu Chriſto præſens eſſe, *Maria*, cupis.

Carolus Darby, A. M.
Coll. Jeſu Socius.

In illuſtriſsimum Ducem Gloceſtrenſem.

BElla per *Henricum* renovat civilia febris,
  Virgineámque cutem ſtuprat iniqua lues.
Heu tantum facinus juvenes deflete, ſenésque,
  Vultus abeſt vultu, corpore corpus abeſt.
Dum flos febrili marceſcit regius æſtu,
  Quis fuſo ex oculis imbre rigare neget?

OCcidit *Henricus*, *Britonum* ſpes magna, relinquens
  Exempli hæredes plurima regna ſui.
Optatos multis thalamos, tedáſque jugales
  Funereo antevenit trux Libitina rogo.
Innumeras animas animâ proſternit in illa,
  Vicináſque facit publica buſta plagas.
Protinus *Arctoo Carolinæ* cardine ſtellæ
  Involvunt peplis lumina mœſta nigris.
Induit atratas veſtes triſtiſſimus aër,
  Et laniat teneras conſcia ſylva comas.
Pérque domos regis lacrymas pia marmora fundunt,
  Et *Thameſis* luctu turbidus ire cupit.
Cur cecidit primis dux immaturus in annis?
  Debuerat *Pylios* exuperâſſe dies;
Forſitan incoctum generoſo pectus honeſto
  Quando mors vidit, credidit eſſe ſenem.
Dotibus inſpectis nigrantes fortè ſorores,
  Tam niveum miſerè deperiere ducem.

Guil. Budgen, Coll. Trin. Soc.

DUm *Batavos* fines & *Iberas* viſeret oras
  Princeps, dum populum *Gallia* magna, tuum,
Inſtar

Inſtar apis chymicæ per florida rura vagantis,
  Præteritis legit dulcia quæque malis.
Indè tot eximiis animo virtutibus aucto,
  Arcta nimis cœpit corporis eſſe domus.
Mentis opes ſolidæ, gemmæque latere volentes,
  Ampliùs hoc claudi non potuere luto.
Has igitur fragiles perfringit ſpiritus ædes,
  Exoptans ſpatio liberiore frui.
Magnus amat ruptis clauſtris *Henricus Olympum*,
  Henricum pariter magnus *Olympus* amat.
Jam redit in patriam, veteres jam viſit amicos,
  Sed fert exilium carnea maſſa novum.

In obitum MARIÆ Principis Aurantiæ, *paucis poſt fratrem menſibus defunctæ.*

DEliquium ſolis perpeſſa *Britannia* nuper,
  Triſtia cur Lunæ tam citò fata videt?
Num dulci gaudens *Henrici* ſanguine lethum,
  Has iterum in *Maria* quærit habere dapes?
An veteres imitans jam libertate Decembri
  Utitur, in magnam quidlibet auſa deam?
Quid queror? erepto conata eſt vivere fratre
  Forſitan hæc princeps, ſed prohibebat amor.
Cùm videt ergò ſuum minimè ſuccedere votum,
  Henricum ſtatuit ſumma per aſtra ſequi.

Illuſtres animas ſpecioſi regia cœli,
  Sarcophagus cineres, nomina mundus habet.

Idem.

In

In obitum Illuſtriſs. Principum
Henrici, *&* Mariæ, *Elegia.*

I.

UNde novi gemitus, tragicæ ſuſpiria ſcenæ,
Quam modò feſtivi perſtrepuere chori?
Quòd vultus repetit nubes infauſta ſerenos,
Quòd redit in ſiccas lacryma pulſa genas?
Dura quòd urgemus renovatis fata querelis,
Damnamus, nuper qui placuere, Deos?
O miras, miſeráſque vices! quàm fluxa voluptas
Eſt hominum, fallax gloria, vita fugax!
Quàm ſubito fortuna ferox torrentia luctu
Gaudia, ſpes tumidas, vota ſuperba premit!
Ut facili nobis declinant proſpera nutu,
Vi nimiâ proprii ponderis alta ruunt;
Langueſcunt fugitiva brevi ſolatia, tentat
Noſtra recrudeſcens vulnera priſca dolor!
Auguſtos umbris feralibus ecce cupreſſus
Atra tegit, victrix quos modò palma, lares;
Funera ſuccedunt lætis inviſa triumphis,
Próque alacri plauſu nænia dira ſonat;
Protinus inficitur piceo nova purpura fuco,
Regia fit, poſito nomine, nigra domus;
Nigra, nec immeritò, lugubri tincta colore
Bis, radiis gemini ſideris orba domus:
Quorum ſplendorem Parcæ ſpectare malignæ,
Nec rutilum poterant Dii tolerare jubar.
Vix adverſarum ſpiſsâ caligine rerum
In nitidum juvenes emicuere diem;
Auroram reducem, primæque crepuſcula lucis
Mors importunâ lurida nocte premit.

Exilii

Exilii poſt longa moleſti tædia, dulcis
   In patriæ charum cùm rediere ſinum;
Excipit amplexu redeuntes Anglia ſævo:
   Dicta quidem multa eſt, ſed data nulla ſalus.
Gallia quos ſalvos dimiſit inhoſpita, quamvìs
   In conſanguineos non ſatis æqua ſuos;
Nobíſque incolumes Hiſpanus reddidit, etſi
   Antiquus noſtri nominis hoſtis erat;
Nec bellum læſit, nec ſors adverſa, nec aër
   Belgicus, æquorei fæx maleſana ſalis;
Durior Hiſpanis, Gallis immitior, enſe
   Sævior, adverſâ ſorte ſevera magis,
Batavicóque vapore malignior Anglia mater
   (Nec mater tamen, at ſæva noverca) necat.
Vix eluctatas iratis fluctibus ipſo
   In portu fallax devorat unda rates:
Víxque novæ deguſtatâ dulcedinè ſortis,
   Lubrica de cupidis faucibus eſca cadit.
Pro reditu fauſto ſolennia vota ferentes;
   Próque ſua placidis thura ſalute Deis;
Ipſis è templis, ipſis avellit ab aris,
   Et rapit ad Stygios mors inopina lacus;
In mediis detrudit ad infera regna triumphis;
   Ultima vox illis, dum moriuntur, ovat.
Scilicet oſtendit, non dat, fortuna ſecundas
   Res, doníſque ſuis non ſinit ipſa frui.

2

AT tu, chare puer, (ſic te tua nominat ætas,
   Quem poſſit virtus jure vocare ſenem)
Quò ſubitos greſſus, ac in quas corripis oras,
   Contentus patrium vix tetigiſſe ſolum?

L   Cur

Cur hac de cauſa tantùm rediiſſe videris,
  Ut tumuli poſſes hîc reperire locum ?
Nunquid apud Gallos, & Belgas ducere vitam,
  Sub noſtro ſolùm convenit axe mori ?
An piget ingratis ultrà te credere terris,
  Nec tibi, vel ridens, Anglia noſtra placet ?
Quid reduces abigis plauſus, reprimíſq; triumphos,
  Noſtráq; funeſtas gaudia, ſæve puer ?
Reſpice divini pro te ſuſpiria fratris,
  Quàm te mœroris plenus abire videt ;
Novit enim quanto vitæ conſorte carebit,
  Réſque manu validâ, mente ſagace ſuæ :
Illius, ſit ſumma licèt, ſapientia veſtri
  Conſilii certam ſæpè requiret opem:
Nec tanti regnare putat, niſi ſoſpite charo
  Fratre ; tui pretium reddere regna velit.
Te ſine, ſe credit fatis melioribus uſum,
  Quando tui compos exulis exul erat.
Téque ſuis ſocium bellis, ſociúmque triumphis
  Fortis Jacobi vis animoſa petit.
Ecce etiam in noſtras oras modò Regia mater
  Advenit, officiis excipienda tuis.
Nec tecum nobis pulchras avelle ſorores;
  Neutra volet ſine te Nympha manere domi;
Altera te ſubitò vel ad infera regna ſequetur,
  Altera ſe Gallis, te moriente, dabit.
Nec deſolatæ patriæ ſolennia vota,
  Próq, tua calidas ſperne ſalute preces:
Illa tui dotes animi miratur, amátque ;
  Indolis eximiam ſpem fovet illa tuæ ;
En languet, tantíq; nequit perferre dolorem
  Vulneris, en tecum ceu moritura jacet !

Heu

3

H*Eu pietas, heu priſca fides, invictáque bello*
Dextera, mens ſummis,formáq; digna Deis !
In tenero pietas non expugnabilis ævo,
Hoſtili quamvìs ſæpè petita manu:
Gratia cui ſupplex, & torva potentia Regum,
Et rigidæ matris ſuccubuere minæ;
Quando tuos humeros Latialis purpura nuper,
Et caput ambivit rubra tiara tuum;
Eſt, velut Alcidæ, cunis cùm ſerperet, angues,
Sic tibi vix puero victa ſuperſtitio.
Sed tenuem hæc triſtémq; fugit victoria Muſam,
Non hanc Melpomene dicere noſtra poteſt;
Geſta pio puero miranda volumine juſto,
Sanctáque bella canet Calliopeia chelys.
Cum vita pietas increbuit, alma venuſtas,
Et probitas morum, nec temerata fides,
In dubiis rebus toties ſpectata, periclis
Auguſto fratri mille probata fides:
Cui comes indomitæ fortis conſtantia mentis,
Et virtus animi Martia, jugis erat:
Teſtis erit, vidit nuper qui bella gerentem
Scaldis, & attonitis protinus hæſit aquis;
Martis ut intrepidus ſubiit diſcrimina, qualis
Exarſit pectus per juvenile calor;
Æmulus ut pugnacis erat, fidúsque Jacobi
Omnia per belli dura pericla comes:
Scilicet ingenii placidi ſuaviſſima tantâ
Conjungi bonitas cum feritate poteſt.
Quæque venit canis prudentia rara capillis,
Contigit imberbi prodigioſa genæ;

Ardua quæ caperet ſinuoſi ænigmata regni,
Sciret quid dici debuit, & quid agi:
Dicentis ſtupuit quoties ad verba Senatus,
Víxque pares illi ſe rubuere patres?
Acceſſit quoque naturæ doctrina benignæ;
Artibus ingenii divitis auxit opes;
Calluit innumeras linguas, licèt omnia dulci
Unius ſuadâ flectere corda potens.
Quid decus egregiæ frontis, vultúſque sereni
Lumina, purpureo tincta pudore, canam?
Siſtere quæ rigidam ſortem, fatúmque morari,
Et triplices poſſent conciliare Deas.
Nil horum dignè calamus depingere poſſit,
Nec lugere ſatìs (conticet ergò) dolor.

4

QUalis, Terrigenûm poſt impia prælia fratrum,
Et cœli profugis reddita jura Deis,
Fraterni comes inceſſit feſtiva triumphi,
Natalémque adiit cum Jove Juno polum;
Talis, poſt domitos exangui Marte rebelles,
Regiáque in rectam ſceptra remiſſa manum;
Fratris ut aſpectu placido frueretur ovantis,
Ad patrios rediit Regia Nympha lares.
Nympha decus noſtrum, noſtræ laus unica terræ,
Et matronalis gloria ſumma chori.
Virgo pudens ſimul ac prudens mulier, pia nata,
Uxor ſancta, ſoror chara, benigna parens.
Gratia cui nivei, roſeíque modeſtia vultûs,
Majeſtas morum comis, & alma fides,
Nobilitas generis pluſquàm Junonia, mentis
Palladius vigor, & frontis amœna Venus.

Trans mare quæ vexit noſtrum cum ſanguine nomen,
Quæ famam Anglorum protulit, atque genus;
Quæque dedit noſtræ ſpecimen venerabile gentis;
Fecit, quàm fertur jure beata, fidem;
Oſtendítque orbi, virtus, ſapientia, forma
Anglica quantillo ſit minor Angelicâ.
Auſpice quâ viget, & longum tranſmittit in ævum
Belligeram ſtirpem Naſſoviana domus;
Quæ neque tam veteres Aquilas, ac inclyta regni
Cæſarei ſacrâ ſceptra vibrata manu;
Nec libertatis vindex acerrima, Regis
Heſperii durum depoſuiſſe jugum;
Nec, quas ipſa dedit Belgis, quòd tractat habenas,
Nec quòd tot terris, tot moderatur aquis;
Quàm generi tandem ſe conjunxiſſe Britanno
Jactat, & à noſtrâ nobilitate tumet:
Scilicet antiquos vincet nunc illa triumphos;
Plus aliquid virtus ſtemmatis aucta dabit:
Quantus erit puer, Auriaco modò nomine fulgens,
Quàm magnis belli fulmine major avis;
Belgica cui noſtras patientia concipit iras,
Noſtro Teutonicum ſanguine phlegma calet:
Natales oras cùm tanta reviſeret hoſpes,
Noſtræ ſe ſociam lætitiæque daret;
Complexu charo, multâ longâque ſalute,
Lætis auguriis excipienda fuit;
Abnuit infelix, funeſtóque Anglia vultu,
Funeſto fudit talia verba ſono.

5

HUccine, bis denos Belgis impendere ſoles,
Et Batavûm pingues irradiare nurus,

Inque paludoſis dignata ſeneſcere terris,
  Ad nos vix tandem, mox reditura, venis?
Annè iterùm Rhenus Thameſi prælatus ovabit,
  Téque fruens lætis Moſa tumebit aquis?
Aut aliò, optatam longinquis Regibus alti
  Conſortem thalami, deferet alter Hymen?
Inque aliis terris, alióque ſub axe jacebis,
  Atque tuo tumulo noſtra carebit humus?
Non ità: tam pulchram, tantâ virtute decoram
  Eſt quia ſpes vivam nulla tenere mihi;
Nè fugias, nobíſque alio procul orbe vageris,
  Compede ſecurâ detineare, placet:
Me penes extabit venerandi fama ſepulchri;
  Hîc jacet, in ſerâ poſteritate legam.
Noſtra nec in ſolidum culpa eſt: Te vindicat æther,
  Ille ſuis te vult addere numinibus:
Hæ meritò dotes ſoli debentur Olympo,
  Sollicitat Superos æmula forma ſuæ;
Quóque ſibi partem repetunt conſortia Divûm
  Æthereum, pars eſt altera jure mea.
Nec tibi contigerit lethi felicius unquam
  Tempus, ut à fatis optio veſtra foret;
Nil majus ſperare daret tibi Neſtoris ævum,
  Nil ſpectare tibi gratius ulla dies:
Vidiſti reditum fratris, Nemeſimque paternam,
  Eſt tibi ſalva parens, eſt tibi ſponſa ſoror;
Fraternos inter moriere tuóſque triumphos;
  Deſinet in plauſus ultima ſcena tibi.
Non licet hæc ullo fœdari proſpera luctu,
  Nil poſt hæc debet vita videre malum.
Quin tua Luciná Chriſti Libitina ſacratur,
  Non vitæ, non eſt ſanctior hora necis:

Diſcedit

Diſcedit tecum, ſociâque in morte triumphat,
Téque ferens ſecum lætior annus abit.
Ac eſſes nè ſola paravit utríque beato
Sedem præcedens frater in Elyſio.
Denique, de nobis ſemper fatale mereri,
Dignáque quæ nimiùm vivere, digna mori eſt.

6

AT te, quæ noſtris reſtas nunc unica votis,
De *Caroli* Auguſta prole, Serena trias,
In quâ colligitur miſeris ſpes ſtrictior Anglis,
Soſpitet æterno numine Sancta Trias.
Te, ſexûs muliebris apex, pulcherrima rerum,
Quam vix æquali Cynthia luce videt;
Cui ſimilem formâ peperit cùm Gallia nullam,
Nec pariet, merito flagrat amore tui;
(Annue ſupplicibus flammis, Regéſque petenti
Indulge, & veſtris Lilia pinge Roſis.)
Te quoque, magnanimi virtus invicta Jacobi,
Incolumem ſemper mitia Fata velint;
Cui bellatorum ſurgit chorus omnis, & ore
Uno da t ſummum Martia turba locum:
Sic dextrâ defenſa tuâ ſit tuta, trophæis
Perſonet in terras Anglia clara tuis.
Pro veſtrâ ſed præcipuè, Rex optime, vitâ,
In cujus poſita eſt noſtra ſalute ſalus;
In quo libertas nobis, pax, copia vivunt,
Fundimus aſſiduas ſollicitáſque preces;
Ut fratri demptos annos, demptóſque ſorori
Annis adjiciat Parca benigna tuis;
Ut nunquam ceſſes, vel poſt nos ultimus omnes,
Vivere, ſit veſtrâ noſtráque morte prior.

Iſ. Barrow, Trin. Coll. Gr. L. Pr. Reg.

In

In præmaturum Illuſtriſsimi Ducis Gloceſtriæ *obitum.*

NAte ſub exortu longi, Dux inclyte, belli,
 Tempora cùm fluerent candidiora, peris?
Scilicet obſcuris lucens ut Stella tenebris
 Sole cadente oritur, ſole oriente cadit.

Item in Sereniſsimam Aurangiæ Principem Mariam *eodem poſteà morbo extinctam.*

ERgóne quaſſatam repetito vulnere gentem
 Concutis, haud uno mors ſaturata rogo?
Nondum centenos rutilus Sol extulit ortus,
 Néve ter implevit candida Luna globum,
Ex quo ſciſſa ſuos mœrens *Brittannia* crines,
 Flebilibus nota eſt ingemuiſſe modis;
Cùm, nè quis mœrore vacet luctúque, *Maria*,
 Te rapit ejuſdem vis inopina mali.
Nil illuſtre genus, nil profuit inclyta virtus,
 Nil caſti mores, nec juvenile decus,
Scilicet indignus numeroſâ prole parentis,
 Tam multùm meriti degener orbis erat.
Novimus inſignes numero vileſcere gemmas,
 Et quò rara Dei munera, chara magìs.

Ben. Pulleyn, Tr. C. S.

In obitum Sereniſsimæ Principis Arauſiorum.

ERgóne continuæ ſuccedunt fluctibus undæ?
 Nec ſpatium lacrymis licet interponere noſtris?
Quæ tandem exequiæ? quod poſt tot funera funus
Ultima conſtituit noſtri monumenta doloris?

Cre-

Credideram infeſti poſt tot diſcrimina belli,
Præliáque, & ſtrages,& euntes ſanguine campos,
Impoſitum noſtris finémque modúmque ruinis,
Nec plura infauſtæ ſupereſſe piacula terræ.
Nunquis ab integro pœnarum naſcitur ordo?
O miſeræ ſortis, quòd non in bellica natis
Tempora, felicem licuit per vulnera mortem
Quærere,& impigro poſt Regis funera curſu
Viſere cæleſtes, *Carolo* celebrante triumphos.
Quòd ſi non aliam venturo Fata Monarchæ
Invenere viam, nec poſt civilia belli
Fulmina compeſci voluerunt limina *Jani*,
Nec firmum ſolio Regem reſidere paterno,
Nî priùs ad Superas *Carolini* ſtemmatis arces
Dimidiam ſobolem, firmatæ in pignora pacis
Tranſtulerant; nil jam querimur; quæ ſenſimus arma,
Et Martis rabies unâ hâc mercede placebunt.
Tu tamen, ô noſtræ Princeps celeberrima gentis,
Auriacúmque decus, per quam commercia cœlo
Exercere licet, Divo jam proxima Patri
Reſpicias dextro Fraternas ſidere terras.
Tu verò ante alios Superis chariſſime Reges,
Quem fati neſcire modum meruiſſe fatemur,
Serus ad annoſæ venias ſpatia ultima vitæ,
Progeniem regníſque Tuis partitus, & aſtris.

Iſaac Craven, A.B. Tr.C.

QUalis hic horror ſubiit tremendus
Angliam? qualis potuit malorum
Ilias rurſus premere, imperante
Cæſare terris?

M Quid

Quid ſedet Tellus miſeranda, nullis
Floribus culta, & laceris capillis
Penè deformis, lacrymatur orba
Frondibus arbor?
Heu! nimis fatum generis Deorum
Novimus certi, nimis apta ſpargit
Flebilem cantum celeri boatu
Fama per orbem.
Jam patet quare tumidus cavernis
Mugiit ventus, Camus & ſiniſtrâ
Lapſus eſt ripâ, ruit & propinquis
Undique campis.
Deſinas poſthac calidum Decembrem
Cana mirari nivibus ſenecta:
Quódque nec toto triduo pruinâ
Terra rigebat.
Scilicet vidit lacrymans *Mariam*,
Mox Deam, lecto jacuiſſe, & alto
Corde ſingultus petiit profundos
Præſcia Mater.
Nec gemit tantùm, Camus at redundat,
Turgidi manant velut ex ocello
Angliæ rivi, & lachrymis replentur
Pocula Sacra.
Illa dum vixit, dedit ægra Mater
Fœminarum inſtar gemitus inanes;
Mortuam ut vidit, Niobes ad inſtar
Marmore vincta eſt.
Frigore Alpino nequiit December
Eſſe conſtrictus, propiore Lunâ,
Certa quæ Phœbi Soror Anglicani
Indè probatur.

Quin & hinc Phœbe meritò vocetur;
Quòd tot humores, oculíſque fluctus
Concitet noſtris, agitans ut æſtum
Luna marinum.
Nos brevi poſthac, minimâ & Britannos
Nocte contentos recinant Poetæ,
Cynthiâ ſurſum properante noſtrâ ad
Sidera coeli.
Clariùs Lunæ nitet en remotæ
Forma jam felix, procul orbe noſtro,
Sat ſibi felix, miſeros ſed, eheu!
Deſerit Anglos.
Nec ſui Phoebi radiis decora
Ampliùs prodit, neque *Carolino*
Jam micat ſpendore, ſuo ſed ipſa
Lumine fulget.

R. Lowe, Aul. Clar.

Epigrammata.

TRes modò Carolidæ; numero gaudet Deus iſto,
Lætitiam minui nè ſinat Ille ſuam.

Concurrit nato Chriſto denatá *Maria*,
Diſparet Phoebo ſic oriente Venus.

Morbillis Princeps, indignâ morte, perempta eſt,
Ex morbis ſaltem debuit Illa mori.

Digna bono nimiùm Coelo, ſummúmque favorem
Numinis exæquans victima nulla fuit;
Senſit, & ingratæ titulum averſata, benigno
Seſe devovit gens *Carolina* Deo.

Viderat ignito Fratrem Soror optima curru
Scandentem rutili ſpendida tecta poli;
Oſtendis, Dux chare, viam mihi; dixit, eâdem,
Strata licèt multo candeat igne, ſequar.

Non ſine conſilio ſapienti Regia proles
Maluit in lætis rebus obire diem.
Sic ſolet accepto pretio quis tradere mercem,
(Sunt vitæ pretium proſpera fata bonæ)
Sic conſummato victor certamine campum,
Deciſâque ſolet linquere lite forum.
Vivere cur pergat, qui reſpondentia votis
Cepit, & in terris otia vana terat?

Oxonium pridem deflevit, flet modò Granta,
Fortiùs hæc ſemper, ſed priùs illa dolet.

Dividit Oxonium, jungit quos Granta, dolores,
Granta ſuum factum quo tueatur habet;
Sanguis, amor, morbus quos conjunxere, fuiſſet
Nobis in luctu diſſociare nefas.

Eſſe ſolet major luctus qui tardior ire,
Et plures lugens fortior eſſe ſolet:
Promptior Oxonii luctus, vehementior ergò
Grantæ: ſed pietas par utriuſque fuit.

Quas (mira res) haud potuit aſperum gelu,
Nec craſſus aër Belgicus, nec exteræ
Sterilis eremi ſolitudo occidere,
Occidit *horti patrii calor*, *Roſas*.

Cùm morbus unus, vulnus unum Principes
Vincendo non eſſet, phalangem febrium
Armavit, inſtruxítque juſtum exercitum,

Ac

Ac interemit mille confoſſos locis,
Numeróque, non virtute, *Mors* victrix fuit.

Nè Regiæ ſoboli moleſta ſis, precor;
Laceſsis alieno loco jam & tempore.
In rebus adverſis, foràs, in Belgio
Nuper fuiſſes hoſpes opportunior.
Jam proſperæ res ſunt, in Anglia, domi,
Aliud agunt; diſcede, *Mors*, mori haud vacat.
Negas? & obſtrepis? quid ergò optem tibi
Pro ſcelere tanto? *Carolus* Rex, optimus
Regum ſit immortalis, hoc te maceret.

Epiphonema.

Materiam decuit carmen miſerabile, luſum eſt
Verſu materiæ conveniente ſuæ.

Ὑπογραφίαν Iſ. Barrow, Tr. Coll. G. L, P.

Ad Regem,
De præmaturo obitu Illuſtriſsimi Fratris Henrici *Gloceſtriæ Ducis, &* Mariæ *Sororis, Principis Auriaci Viduæ.*

FRaterni nuper cineres, & flebile marmor
Cruore dibaphum regio,
Et columen regni geminum, Auguſtiſſime Princeps,
Patriæque ſublatum & Tibi,
Subſidium implorant à Te, Mitiſſime, nobis.
Qui ſolus es potis dare,

Et patriæ Pater eſſe tuæ, thalamóque ſepulchrum
Diu obſerandum claudere.

R. Crane, Jur. Civil. D.
Trin. Coll. Socius.

Juſta mæſtiſſima
Henrico Gloceſtriæ *Duci, &* }
Mariæ *Principi* Auriacæ, } *Uno eodemque morbo nuperrimè abreptis.*

RIde, ſi ſapis, ô *Britanne*, ride;
Nî fallor, *Carolus* jubet reverſus;
Ingens cura Dei, ſalúsque noſtrûm:
Sic poſt tot madidos dolore vultus
Laxes perſpicuo labella riſu.
Hoc quamvìs jubet omnibus *Britannis*,
Non ſemper jubet omnibus *Britannis*.
Nam cùm tres fuerant (*Britanne*) Fratres,
Europæ imperio ſatìs ſupérque
Digni; cùm fuerátque par Sororum,
Vidit nemo quibus venuſtiores;
Cùm Fratres *Lacheſis* pares reliquit,
Cùm pulchras facit impares Sorores;
Cùm puri ingenii, & *Gloceſtriæ* Dux
Ridenti perit invidendus hoſti;
Cùm charum ſequitur *Maria* fratrem,
Et veſtigia chariora preſſit;
Ambo cùm tetrici, *Catonis* inſtar,
Intravere *Britanniæ* Theatrum,
Solùm peſtifero exeant ut orbe:
Cùm *Richmondius* occidebat Hæres,
Solùm qui *Caroli* minor Nepote,

Expi-

Expirans apud exteros Alumnus,
Gallis prodigium, puer decennis,
Tutoris decus, ac ſi ter-decennis:
Tres tantos rapuítque cùm, vel infra
Menſes quinque, eadem lues *Stuartos*;
Tu rurſus lacrymas reſume juſtas,
Exemplúmque piè ſecute noſtrum,
Plora, ſi ſapis, ô *Britanne*, plora.

Guil. Fairebrother, LL. D.
Coll. Regal. Socius.

In Menſem Januarii.

FLere *Stuartorum* nec ſemper fata licebit,
Diſcolor eſt menſis nam tibi, *Jane bifrons*:
Candida mixta tuis ſunt atris, feſta nefaſtis,
Eſt bene, qui nequeat dicere, dicat, *Erit*.
Nempe dies Patris collum *penultima* ſciſſum
Præbuit. Heu! diræ *Proditionis* onus!
Nempe die *prima* Nato impoſuere Coronam
Scotigenæ; *Fidei* ſic renovatur opus.
Sic quoque ſtrena *Caput* (ſed non indebita) cinxit
Aurea, ſtrena licèt ſanguinolenta *Patrem*.

Flere *Stuartorum* nec ſemper fata licebit,
Hoc vetuit *Caroli* ſplendor, & aucta *Domus*;
Hoc *Ducis Eboraci* vetuit ſpes ſumma, *recénſque
Partus*, cui *CAROLUM Carolus* indiderit.

COEpit Melpomene lugubria fundere verba,
Lugentis tractans triſtia fila lyræ;
Cùm ſubitò reprimit gemitus luctantia verba,
Nec mutam citharam ſuſtinuere manus.
Hinc ſine Muſarum auxilio, ſine Apollinis arte
Quale poteſt carmen ruſtica Muſa ſonat.
Nè vitis nimiùm partes ſe fundat in omnes,
Agricolæ reſecat vimina cauta manus.
Sic qui prudenter rerum moderatur habenas,
Cœleſti in terris numine facta regens,
Nè nimis exultet variis gens noſtra triumphis,
Abſcindit ſubitis gaudia ſumma malis.
Scilicet, heu flendum! ſic jam bis contigit; hora
Nulla brevis vitæ libera tota malis.
Omnia dum Regis reditu pulcherrima ſplendent,
Splendoris tanti lumina bina jacent.
Præteritos iterum mœſti renovare dolores
Cogimur; & madidis flere ſepulchra genis.
Occidit, heu! primo lethalis vulnere morbi
Henricus, patriæ qui dolor atque decus.
Nè nimiùm extincti fleremus funera fratris,
Ecce novo ſequitur funere chara ſoror.
Quis nuper poterat tantum ſperare dolorem?
Quis jam ferre poteſt? quis ſuperare cupit?
Hìc tantùm felix, bona qui terreſtria ſpernens
In cœlo ſolùm gaudia plena petit.
Illìc quæramus ſolatia vera doloris,
Illuc in votis acceleremus iter.
Flebile principium intereà ut meliora ſequantur,
Oramus ſummi Numina magna Dei.

S. Wotton, S. T. D.
Coll. Regal. O. Socius.

Epita-

In obitum Henrici *Ducis Gloceſtriæ Epicedium.*

SIc teſſellato fruitur fortuna triumpho,
Et vario rotat orbe vices: modò candida currunt
Tempora, mox atro veniunt ſignanda lapillo.
Nil ſtabile & fixum; ſuccedunt funera feſtis,
Excipiúntque hilares Epicedia mœſta choreas.
O quantos plauſus, & jubila quanta tuliſti,
Magne triumphali rediens cùm *Carole* curru
Captivos duxiſti animos, & corda tuorum!
Quàm ſubitò inverſis plorat nunc *Anglia* fatis,
Induitúrque atras (heu! falſo nomine) veſtes
Albion, & reſonant lugubri compita leſſu!
Carolus, *Henricus*, dolor hinc, par indè voluptas:
In duo diſtrahimur. Conceaas, *Carole*, fratri
Tantiſper; liceátque recentem plangere cladem,
Te quanquam ſalvo, chari dum Principis umbræ
Mittimus inferias, tumulo & libamus honores.
O *Henrice*, decus *Britonum*, dulciſſime rerum,
Deliciæ popu'i, ſec'li ſpes magna futuri,
Terribilis dextrâ, formâ peramabilis Heros;
Flos, *Henrice* Ducum, & patriæ virtutis imago,
Flos, *Henrice*, Ducum, Dux florentíſque juventæ:
Flos peramœne virûm, Florum & pulcherrime Princeps,
In te nempe uno, veris formoſa propago,
Lilia mixta roſis ſimul ore, & ſtemmate certant.
Henrice, ô lumen gentis columénque *Britannæ*,

Quò fugis? ah! miſeros & nos, terráſque relinquis?
Vixque ſalutatos, heu! tam citò deſeris *Anglos?*
Oſtendent nobis te *tantùm fata, neque ultrà*
Eſſe ſinent, reducem tam nuper, inhoſpita fata?
O nimiùm ſurda ad noſtras Libitina querelas!
O Parcæ immites, & neſcia carmine flecti
Fatorum ſeries, & ineluctabilis ordo,
Et fixæ aſtrorum leges & dura poteſtas!
Parcite vos Superi, ſi veſtra palatia pulſat
Muſa audax, vanóque laceſſimus æthera planctu.
Scilicet obruimur; rapit inclementia Lethi
Attonitos, proni ferimur torrente malorum;
Non unis agimur furiis, nec ſimplice damno
Liquimur in lacrymas, denſatur funere funus,
Nec de plebe hominum; *vulgaria fercula temnit*
Mors bona, Regali paſcuntur ſanguine Manes.
Nos animæ viles (quid adhuc ſub luce moramur?)
Carpimur heu ſenſim, & repetitâ clade perimus.
Vix animam trahit infelix en *Anglia* mater,
Deliciis orbata ſuis, penitúſque fatiſcit
Ægra nimis, tot fœta malis, & pondere luctûs
Preſſa gravi; nec ferret onus, niſi *Carolus* eſſet,
Sitque, precor, longum poſt talia fata ſuperſtes:
(Curriculum vitæ, ceu verſus hypermeter eſto)
Fratribus & demptos huic addat juſtior annos
Parca, brevéſque colos producto ſtamine penſet.

Ja. Duport, S. T. D.
Trin. Coll. Vicemagiſter.

Epita-

Epitaphium HENRICI *Ducis* Gloceſtriæ.

HIc jacet *Henricus*, teneris qui protinus annis
Hauſit ab ore Patris júsque fidémque ſui.
Dumque ſinu, & patriis penderet parvulus ulnis,
Doctore hoc didicit, vel puer, eſſe pius:
Patris & exemplo fragilem *calcare coronam*,
Ut poſſet regno ſic meliore frui.
Abſit, ut ante diem fraterna ego ſceptra capeſſam,
Sic ait, & gemitus ultima verba dabant.
Móxq; Parens cœlum conſcendit pegmate Martyr;
Interea Frater *Carolus* exul erat:
Quem ſimul *Henricus* Regem, Reducémq; videret,
Vidi; *ſat vixi*: dixit, & occubuit.

Idem.

Concluſio.

COgnatos cineres ſic una recolligit Urna;
Eulogióque pares celebrat Liber unus; at eheu,
Funeribus junctis non ſufficiet dolor unus,
Non lacrymæ mille: ergo juvat ſupplere ſilendo
Et flendo, quodcunque deeſt——

H. Ferne. S. Th. D. C. Tr.